Fl. 7.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
31 A
24
FONDO SESSORIANO

M 214

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
OPINIONE PROBABILI

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE

OPINIONE PROBABILI

CUM APPENDICE

Super Ranimiri II. Aragonum Regis X. Monachi, Sacerdotis, & Episcopi Matrimonio.

ADVERSUS

THEOLOGICAM *DE CONSCIENTIA PROBABILI* PRÆLECTIONEM CL. GAZZANIGÆ.

AUCTORE

GASPARE DE SEGOVIA CÆSARAUGUSTANO

OLIM IN COLL. ROM. SAC. THEOL. PUBLICO PROFESSORE.

ROMÆ MDCCXCV.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

„ Sensi sæpe dolens , & gemens , multas infirmorum
„ perturbationes fieri per quorumdam fratrum conten-
„ tiosam obstinationem , vel superstitiosam timidita-
„ tem , qui in rebus hujusmodi , quæ neque Scripturæ
„ Sanctæ auctoritate , neque Universalis Ecclesiæ tradi-
„ tione , neque vitæ corrigendæ utilitate ad CERTUM
„ possunt terminum pervenire ; tamen quia subest qua-
„ liscumque ratiocinatio cogitantis . . . . tam litigio-
„ sas excitant quæstiones , ut nisi quod ipsi faciunt ,
„ nihil rectum existiment „ .

S. August. in Epist. 118. *ad Januar. cap.* 2.

Digitized by Google

ADPROBATIONES.

DIssertationem *De Opinione Probabili &c.* quam cl. Vir Gaspar de Segovia olim in Collegio Rom. S. Th. Publ. Prof. conscripsit, jussu Reverendissimi P. Fr. Thomæ Vincentii Pani Magistri S. P. Apostolici attente legi. Nihil in ea Catholicæ Fidei, nihil bonis moribus alienum deprehendi; modestia vero, ac temperantia scriptionis, qua totum Opus nitet, veteranum plane, gravemque Theologum ad vivum spirat. Utinam viri docti, de rebus, opinionis arbitrio permissis, contra doctos alios disputantes, perpetuo hunc morem retinerent.

Dat. ex ædib. S. Petri ad Vincula Kal. Januar. an. repar. Sal. MDCCXCV.

D. Vincentius Garofali Canonicus R., S. Th. Prof. Bibliothécarius, & Acad. Pontif. Censor.

OPus inscriptum = Dissertatio de Opinione Probabili &c. Auctore Gaspare de Segovia olim in Coll.Rom.S.Theologiæ Publ. Professore = jussu Rmi P. Magistri S. P. A. totum perlustravi, diligenterque expendi. In eo non solum nihil censurâ dignum, utpote vel Divinis Litteris, vel Ecclesiasticis sanctionibus contrarium, reperi, quin imo omnia accurate dicta, examinata, ostensa. Mirandum insuper, laudandumque summum Auctoris ingenium, qui theologicam quæstionem abstrusam, & difficillimam clara methodo, & accuratissimis rationum momentis pertracta-

 vit,

Digitized by Google

vit, illustravit, & eâ, quæ decet Viro Christiano, temperantiâ, docto dignitate. Typis ergo, dum libeat, cui parendum, emandandum censeo. Dabam Romæ e Monasterio Sanctæ Franciscæ Romanæ X. Kalendas Februar. anno 1795.

D. Michael Augusti Congregationis Olivetanæ Monachus, & Studiorum Præfectus.

QUum Rmo Sac. Palatii Apostolici Magistro pro notissimis ipsius prudentia, & æquitate placuerit, ut duobus Sapientissimis (quod moris est) ***Dissertationis de Opinione Probabili &c. Auctore Gaspare de Segovia Cæsaraugustano***, Censoribus alter præter morem tertius accederet Censor Hispanus, quod sæpius in Dissertatione, & Appendice de rebus Hispanicis ageretur, easque partes mihi detulerit; accessi lubentissimè: atque attente perspecta, introspectaque tota lucubratione, nihil inveni fidei Catholicæ dogmatibus, bonisque moribus dissentaneum, quin imò potius ex suo ipsius opere novi Auctorem singulari eruditione, eloquentia, perspicuitate, & probitate præditum; talem denique, qualis esse vir debet, qui novemdecim totis annis Publicum Sac. Theologiæ Professorem egit, septem scilicet Cæsaraugustæ, & duodecim Romæ. Quod attinet vero ad Hispanicarum rerum Scientiam, eumdem Auctorem esse censeo de Patria benemerentissimum, utpote qui ejus antiqua, & pervetusta monumenta, ab Exteris partim contempta, partim obscurata, apud Exteros illustraverit. Quapropter rem absolvam illâ, quam Cl. Auctor ipse Num. Appendicis 15. tradit, Antonii Augustini, Hieronymum de Blan-

Digitized by Google

Blancas alloquentis, sententiâ, videlicet *Si præfati Operis editioni obſiſterem, ingratus in Patriam, atque Cl. Scriptoris gloriæ invidus judicarer, quum iſtum Auctoris laborem facilè omnes probaturos ſperem*. Sic Sentio, Salvo meliori &c. in hoc Collegio Pio S. Adriani de Urbe pridie Kalend. Februarii an. D. 1795.

Fr. Vincentius Ruiz Ord. B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiv., Studior. Præfect., Sac. Congr. Indicis, Conſult., & S. R. Univ. Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Rm̃o Patri Sac. Palatii Apostolici Magistro.

F. Xav. Paſſari Archiep. Lariſſ. Viceſg.

IMPRIMATVR.

Fr. Th. Vincentius Pani Ord. Prædic. Sac. Palatii Apostolici Magister.

Digitized by Google

AUCTOR

BENEVOLO LECTORI.

Quum Operi primam manum admovi, prima usus fui Operum R. P. Fr. Pet. Mar. Gazzanigæ Editione Vindobonensi anni 1770.; *quum secundam, secundâ, Venetâ scilicet anni* 1771., *qua in citationibus utor, ac sæpissime posteriorem Prælectionis numerum prius examino, quam priorem; quia nempe perspicuitati congruentius esse duxi rerum ordinem servare, quam numerorum. Quum autem ad Dissertationis clausulam proxime jam accederem, casu incidi in ultimam Prælectionum Gazzanigæ editionem, Bononiensem nempe anni* 1791., *eamque cum Veneta accuratissime contuli, exploraturus, num pridem Editis in Veneta, quidpiam in Bononiensi superadderetur ab Auctore, ultimam quoque istam sui Operis editionem curante; & profecto nonnulla comperi superaddita, quæ me coegerunt totam ab exordio Dissertationem deinceps perlustrare, ut quæ ex novissime adjectis visa mihi*

sunt consideratione digniora, suo quæque loco adjungerem, & discuterem. Primis itaque curis, uti vides, secundas adhibui, secundis tertias: cunctis fruere: cura tamen, ut æquus, ac integer Judex sis, hoc tantum oro te; Deum vero, plurimum ut valeas.

PRÆFATIO

DE CAUSIS SCRIBENDI.

UBI primum R. P. Fr. Petrus Maria Gazzaniga Prælectiones suas Theologicas typis dedit, & Opus ipsum, recens editum Vindobonæ, Romam appulit, legendique fuit otium; Cl. Maximilianus Chiolich, Pontificii, ac in Urbe florentissimi Collegii German. Hungar. tunc temporis Alumnus, quem honoris ergo, atque memoriæ causa nomino, mihi semper gratissimæ, namque Adolescentem perspicacissimum ingenio, studiis Ecclesiasticis indefessum, sermonis elegantiâ præstantem, morum probitate vere eximium, vel in primis tunc dilexi, & modo Virum, qualem sua illa juventus spoponderat, vehementer amo; Is, inquam, Cl. Maximilianus me commonefecit, perquam

Illust. Contubernales suos illud Cl. Gazzanigæ Opus avide perlegisse ; & quamvis cætera quidem omnia , quæ illo in Opere continentur , parum , aut nihil pensi haberentur apud eosdem , quippe satis Ipsi reliquarum quæstionum notitiâ erant præinstructi , rerumque periti ; ea tamen , quæ contra Probabilistarum sententiam inibi in Trac. de Actib. human. Dissert. III. Cap. III. proferebantur , alte nonnullorum animis insedisse , eo quod nullam in Schola tunc usque Probabilismi explicationem excepissent , nec nisi iniquum possent , una tantum audita parte , judicium ferre . Hæc Ille mihi , sua simul , aliorumque Alumnorum vota repræsentans , quibus , ut aliquid contra Cl. Gazzanigæ lucubrationem scriberem , peroptabant .

2. Profecto in Tract. de Actibus humanis , quem paulo ante frequentissimæ Auditorum concioni tradideram , isthæc gravis admodum de Opinione pro-

probabili Controversia desiderabatur; cujus discussione ut supersederem, non quidem rei, sed temporum difficultas in causa fuit. Quum enim tunc vel maxime oppositionis procella vel eo etiam nomine, sive pretextu, quod Probabilismum tuerentur, perinde in Jesuitas exæstuaret, ac si Probabilismus extremam terrarum Orbi ruinam minitaretur, & Jesuitæ vel soli, vel primi Probabilismum invexissent; ne novum incendio aut pabulum, aut fomitem ministrarem, in sententiam, a Plutarcho in lib. de liber. educan. traditam, concessi, & „ tempestivum silentium rem esse sapientissimam duxi „.

3. Sed vero illa, quæ dixi, lectissimorum Discipulorum vota postea perspiciens, quibus non adnuere neque meum erga eosdem studium, neque sua Ipsorum erga me benevolentia patiebantur, & in mentem simul revocans justam criminationem, qua Cic. in

in lib. de Offic. 1. his succenset „ qui „ quod sentiunt, etiamsi optimum est, „ invidiæ metu non audent dicere „; lubens adnui, Dissertationemque digessi. Eo tamen consilio, ut illam publici Juris non facerem, sed privati, & ad manus Juvenum lectissimorum deferrem, qui intra domesticos parietes, æqui, verique cognitione informarentur sine Probabilioristarum exacerbatione: quo pacto & Plutarchi, & Ciceronis placitis unâ, quoad fieri tunc poterat, obsecundavisse existimo. Dissertationis autem autographum, postquam Cl. illius Collegii Alumni plerique omnes perlegerunt, & vero etiam transcripserunt non pauci, quasi finem nactus, in scriniolo reposui, omnemque ipsius cogitationem expuli, ac memoriam pene delevi.

4. Verum enim vero superincidens nostris hisce temporibus luctuosissima Galliarum catastrophe, hæc animum, ut

Digitized by Google

ut actorum reminisceretur, subegit; uberrimam item subministravit materiem, & quasi stimulos admovit, ut Opusculum, excusso pulvere; in tritinam revocarem, multisque, tum superadditis, tum dilucidius expositis, perpolirem, ac numeris, quoad fieri a me posset, omnibus absolutum, in lucem ederem, quo luce meridiana clarius ostenderetur paradoxum Gazzanigæ.

5. Is porro tertio quoque suæ Prælectionis verbo Probabilismum laxitatum parentem vocat, fontem, scaturiginem, Christianæ Moralis scientiæ corruptorem, luxuriantium ingeniorum armamentarium, conscientiarum pestem, animorum perniciem, hisque, ac similibus cantilenis ad nauseam usque implet utramque paginam.

6. Et ipsemet interea in sua eadem Prælectione num. 41. exultans, & insultans, ait: „ Sed illuxit tandem illa „ expectata dies, in qua Præsules Gal-

„ li-

„ licani , anno 1700. iterum in Co-
„ mitiis congregati , supremam cla-
„ dem Probabilismo adtulerunt ....
„ Itaque caussa finita fuit, & ex ea
„ die Probabilismus è florentissima
„ Galliarum Ecclesia exterminatus e-
„ xulat „ . :

7. Nec satis istud est: in ipsa quantumvis perbrevi Prælectione iterum, iterumque [quinquies ni fallor] illa Gallicana Probabilismi damnatione triumphat Gazzaniga, & sub finem, num. scilicet 132. addit: „ Spem sibi tandem affulgere, ut Probabilismus „ undique exterminandus sit, quomodo a florentissima Galliarum Ecclesia, & à pluribus Diœcesibus exterminatus est „. Iis suus erit postmodum locus.

8. Interea tamen faxit Deus, ut ea Gazzanigæ vota irrita prorsus cadant, & ex nulla unquam Orbis Natione Probabilismus exterminetur, quomodo exterminatus tandem è Gallia est, Ipsius vide-

videlicet & Ecclesiæ, & Regni luctuoſissima devastatione, quam si Gazzaniga prævidisset, nullatenus illud evulgasset, quod modo ostendam paradoxum.

9. Quum „ nemo „ quidem, ut in proverbio est „ summus repente fiat „ multis proculdubio lustris ſuit opus, ut Galliarum prævaricatio ad summam, quam in præsentia, anno scilicet 1794. videmus, atque deploramus, exorbitantiam deveniret. Utique mala, quibus ultimæ huic Galliarum subversioni via parabatur, libertas nimirum opinandi, scribendique, philosophandi audacia, errores spargendi licentia, dominandi cupiditas, contemptus Sacerdotii, legum abjectio, morumque corruptio, non omnia simul pullularunt, neque momento temporis invaluerunt; sed pedetentim, & quasi gradatim, decursu plurimorum annorum & extensione, & numero, & robore, & atrocitate usque adeo excreverunt,

ut paria tandem evaserint extremo vastissimæ Ditionis excidio.

10. Jam vero totis illis viginti circiter lustris, seu 94. annis, ab anno nempe 1700. ad præsentem usque 1794. tot, tantaque mala in Galliis emergere, aut scaturire è Theologorum Probabilismo nequiverunt; quum Probabilismus è Galliis jam ab illo anno 1700. per Gazzanigam „ exterminatus „ exularet „. Perperam ergo alia scandala „ quæ ubique gentium, ut Matth. 18. dicitur „ necesse est, ut „ veniant „ Probabilismo, adtribuuntur, perperam Probabilismus illorum fons, parens, scaturigo, radix appellatur; quum longe plura, longeque graviora, Probabilismo per Gazzanigam illinc extorri, in Galliis adoleverint.

11. Verum somniaverit Gazzaniga, & Probabilismus in Galliis post illum Cleri Gallicani Conventum immotus, ut ego quidem puto, perstiterit:

rit : nihilominus persequi rem & libet, & juvat contrariorum comparatione.

12. Quænam Regio, dic oro, quænam Regio & Deo, & Regi fidelior, quam Hispania? ubinam temperantius, honestius, religiosius, quam in Hispania vivebatur, & vivitur? & tamen, ut postea in Dissertatione palam fiet, neque Recentior diffitebitur, nullibi diutius, latius, atque uberius, quam in Hispania, patria sua, floruit Probabilismus.

13. Quænam Regio audacius in Deum, inque Regem atrocius perfida, atque perduellis, quam Gallia? ubinam effranatior, quam in Gallia, libertas loquendi, scribendi, agendique, qua libertate abrepta, ac longe lateque propagata, hinc ab Philosophis effronti inverecundia, illinc sub modestiæ, & austeritatis larva ab Jansenianis impune errores quaquaversus disseminabantur, mores corrumpebantur? & ta-

tamen, vel ipso Gazzaniga teste, nullibi minus, quam in Gallia, viguit Probabilismus, cui certe inibi Probabiliorismus, & Rigorismus, seu Tutiorismus, agmine facto, pertinaciter obsistebant.

14. Fides ergo, Religio, pietas, pudor, temperantia, frugalitas, & bona reliqua, quibus Hispania afflüit, & affluxit, si demum alterutri, minime Probabiliorismo referri debent accepta, & maxime Probabilismo, quum iste præ illo apud Hispanos eminuerit, & hodie dum emineat: hodiedum inquam, nam, qui relegati inde ſuere Probabilistæ ad Probabilismi immortalitatem publicas Bibliothecas innumerabilibus suorum Doctorum voluminibus refertas reliquerunt, quas si illis omnibus spoliaveris, magnam certe scriniorum partem inanitate, ut ita dicam, impleveris.

15. Perfidia autem, pervicatia, temeritas, furor, arrogantia, libido, & ma-

Digitized by Google

& mala reliqua, quæ Gallias inundavere, si demum alterutri, maxime Probabiliorismo debent adtribui, & minime Probabilismo, quum ille huic apud Gallos semper longe præstiterit, Tutioristarum, seu Rigoristarum copiis stipatus. Quidni ergo Probabilismum potiori jure dixeris bonorum parentem, fontem, scaturiginem, & Probabiliorismum malorum?

16. Verùm ne Gazzaniga nimium irritetur, istud prætermittamus oportet, aliamque, tametsi non unicam, utrorumque & malorum, & bonorum originem designemus.

17. Illa profecto causa fuit optimorum morum in Hispania, & pessimorum in Gallia, quia videlicet Hispania habuit, Gallia non habuit Inquisitionis Tribunal, integerrimis, ac sapientissimis, administratum Judicibus. Horum, Horum sacra auctoritate homines, etiam Theologi, in officio continentur, ne vel Probabilistæ la-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

laxitatem invehant, vel [quod multo magis in proclivi est] Probabilioristæ vergant in Tutiorismum. Jugi Judicum ipsorum vigilantià, ac prudentià malorum initia, quandocumque ea suboriuntur, statim præfocantur, ne serpendo vires, novumque in dies robur acquirant, & virorum fortium, atque innocentium partim misero exilio, partim sæva internecione usque debachentur; quod toti, quam late patet, Galliæ, quantumvis Probabiliorismo, ac Tutiorismo præmuniretur, contigisse, horrent boni omnes, luget Ecclesia.

IN-

INDEX

DISSERTATIO *De Opinione probabili*. Pag. 1

CAP. I. *Opinionis probabilis vera, & germana notio*. Ibid.

CAP. II. *Vera Probabiliſtarum ſententia proponitur, & propugnatur*. 18

§. I. *Hiſtoria Probabiliſmi ſynopſis*. 19
§. II. *Probabiliſmi firmamenta*. 79
§. III. *Objectiones Probabilioriſtarum*. 136

CAP. III. *Proponitur, & refellitur Probabilioriſtarum opinio*. 195

§. I. *Hiſtorica Probabilioriſmi ſynopſis*. 196
§. II. *Refellitur Probabilioriſtarum ſententia*. 202
§. III. *Probabilioriſtarum fundamenta evertuntur*. 212

CAP. IV. *Proponitur, & refellitur Tutioriſtarum opinatio*. 230

§. I. *Historica Tutiorismi synopsis.* 231
§. II. *Tutioristarum opinatio refellitur* .. 234
§. III. *Tutioristarum momenta dissolvuntur* . 245

APPENDIX *Super Ranimiri II. Aragonum Regis X., Monachi, Sacerdotis, & Episcopi, matrimonio.* 259

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
OPINIONE PROBABILI.

1. VEram, atque germanam Opinionis probabilis notionem exponam: firmam, fixamque Probabiliſtarum ſententiam tuebor: Probabiliorismum refellam; ac Tutiorismum. Ut autem Probabilismi antiquitas in bono simul lumine collocetur, historicam uniuscujusque Factionis synopsim non prætermittam, & Antiquorum auctoritate disserendo præsertim utar.

CAPUT I.

Opinionis probabilis vera & germana notio.

2. S. THom. ait (a) *Quando ratio, quæ movet ad alteram partem, neque sufficit ad intellectum terminandum, quia non resolvit conclusiones in principia per se nota, neque sufficit ad voluntatem terminandam, ut bonum videatur illi parti adhærere, tunc homo opinatur illud, cui adhæret, & non terminatur*

 in-

(a) S. Tho. in 3. dist. 23. qu. 2. art. 1. qu. 1.

intellectus ad unum, quia semper remanet motus ad contrarium, accipit enim unam partem cum formidine alterius, & ideo opinans non assentit, perfecte nimirum, prout Ipsemet S. Doct. explicat paulo inferius his verbis: *Opinans habet cogitationem sine assensu perfecto; sed habet aliquid assensus, in quantum adhæret uni magis, quam alii.*

3. In eam sententiam, qua opinio esse dicitur assensus uni contrariarum partium præstitus cum alterius formidine unanimiter conveniunt Guillelm. Parisiens. (*a*), Alexand. Alens (*b*), Albert. Mag. (*c*), S. Bonavent. (*d*), Richard. (*e*), Durand. (*f*), S. Antonin. (*g*), Capreol. (*h*), & omnes Probabilistæ.

4. Quum igitur opinio assensum necessario præseferat, esse nequit probabilis eo sensu, quo probabile ab Academicis usurpabatur apud S. August. (*i*) dicentem: *Id probabile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verum*

(*a*) Guillelm. de fide cap. 1.
(*b*) Alex. Alens. par. 2. qu. 69. memb. 4. art. 2.
(*c*) Albert. Mag. in tract. de hom. qu. 51. art. 1.
(*d*) S. Bonav. in 3. dist. 24. art. 2. qu. 2.
(*e*) Richar. in 3. dist. 5. qu. 6.
(*f*) Duran. qu. 1. in prol. sent. num. 20., & 23.
(*g*) S. Antonin. par. 1. tit. 3. cap. 10. §. 9.
(*h*) Capreol. in 3. dist. 25. art. 3. ad 6.
(*i*) S. Aug. lib. 2. contra Academ. cap. 11.

Digitized by Google

rum eſſe, aut non id ſcire arbitremur; agamus tamen: Eosque in lib. etiam, quem contra Donatiſtas ſcripſit, hiſce verbis redarguit: *Quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probant, probabile?* ac ſi diceret eisdem: quum de nulla omnino re ferendum eſſe judicium, nulli aſſentiendum affirmetis, id quod operamini, aut operando ſequimini, quomodo vobis eſt probabile, ſi neque, hoc ipſum, eſſe probabile judicatis?

5. Neque probabilitatis nomine certa, & indubitata rei veritas in præſentiarum ſignificatur, quamquam eo ſenſu vocem illam nonnunquam S. Greg. Nazian. acceperit: re enim vera latius patet probabile, quam certum; quum omne certum ſit certe probabile, eisdem ſcilicet rationibus, quibus ſuadetur eſſe verum; omne tamen certe probabile non eſt certum, namque ſæpiſſime rationes, quæ ſatis certe ſunt ad aſſentiendum cum formidine errandi, aſſenſum ſine formidine non merentur, nec vero extorquent.

6. Probabilitas itaque in præſenti qu. tantum accipitur pro quadam adſerti, ſeu propoſitionis proprietate, quæ quamvis aliquid abſolutum debeat præ ſe ferre, videlicet gravi rationis, aut auctoritatis fundamento fulciri (iſtud enim quum deeſt, vera, & ſolida probabilitas abeſt) potius tamen relativa, quam abſoluta dici eo ſolet, quod quum propoſitio

absolute, & in se esse necessario debeat vel vera, vel falsa; hominibus, illius rationes, seu fundamenta perpendentibus, solummodo videtur probabilis, id est probabiliter, & non certo vera, vel probabiliter & non certo falsa.

7. Id rei Cl. Gazzaniga summis attigit labris, implexumque reliquit: namque num. 23. scripsit: *Non itaque probabilitas est aliqua proprietas propositionis absoluta, cujusmodi est veritas, vel falsitas; sed est proprietas relativa: unde propositio absolute, & in se sumpta, est vera, vel falsa, & solum relate ad nostram conscientiam dicitur probabilis, vel improbabilis*.. Num. autem 106. dixit idem Recentior: *sententiam minus probabilem in conflictu probabilioris remanere quidem probabilem absolute, & in se, vel objective, non tamen subjective, seu habita ratione prudenter operantis*. Probabilitas igitur, quæ num. 23. erat propsitionis proprietas *relativa*, & *non absoluta*, num. 106. proprietas *absoluta est*, & *non relativa*.

8. Age vero: illa adserti, seu propositionis probabilitas aut ex D. D. suffragiis obvenit, & tunc *exstrinseca* vocatur; aut ex rationum momentis, & tunc appellatur *intrinseca*: ut vero propositio aliqua vere, ac proprie probabilis judicetur, debent ejus momenta etiam in conflictu momentorum opinionis contradictoriæ vim suam retinere, quin ab istis illa elidantur.

9. Quan-

9. Quandocumque enim unius propositionis momenta vel moralem, vel physicam certitudinem ingerunt, tunc argumenta elidunt contradictoriæ opinionis, & tunc ista non probabilis, sed improbabilis, ac vel moraliter, vel physice certo falsa existimatur; prima autem certo vera. Quandocumque propositio ad metaphysicam, sive summam certitudinem pertingit, eo quod aut in principia per se nota resolvitur, ut S. Tho. ajebat, aut Div., litteris, & Eccles. vel traditioni, vel definitioni clare innititur; tum opinio contraria, quantacumque pro se, & quotcumque argumenta e fraudum, atque sophismatum penu proferat, nedum improbabilis, ac certo falsa, verum etiam, proportione accommoda, erronea, impia, vel hæretica debet haberi.

10. Perspectum autem habeas oportet; quod inter certitudinem moralem, & solidam probabilitatem; interque istam, & tenuem probabilitatem discrimen intercedit. Quidquid moraliter certum est, etsi absolute possit esse falsum, non tamen nisi raro, ac difficillime; quidquid solide est probabile, non raro nec difficillime, sed prout humana conditio fert, sæpe, & facile fallit; quidquid demum solum tenuiter est probabile, facillime fallit, ac fere semper: quam ob rem primum aliquam falsi formidinem permittit, non tamen nisi valde imprudentem; secun-

dum prudentem , ac rationabilem ; tertium prudentissimam ; ita ut propositioni moraliter certæ prudentissime assentiaris ; prudenter solide probabili ; & tenuiter probabili imprudentissime , ac temere .

11. Quum vero , quod in opinabilibus ferme contingit , utraque contradictionis propositio probabilis est , & neutra certo vera , vel certo falsa , non statim utraque æqualem probabilitatem sortitur ; sed pro æquali , aut majori , vel minori rationum , ad assensum impellentium , gravitate , & vi , vel utraque opinio æque , seu fere æque probabilis ; vel una alterà probabilior evadit , ac pari gradu cum prudenti æquali , aut majori , vel minori errandi formidine conjuncta est : potius enim , quam probabilis , certa esset rei notitia , cujus momenta prudenti illi falsi formidini locum non darent .

12. Propter eam opinantis formidinem , quam S. Thom. non semel dubitationem appellat , opinionem probabilem cum dubitatione Probabilioristæ obstinate confundunt , illudque animis suis altissime infigunt , & infigere aliorum animis conantur , eos scilicet , qui opinionem probabilem operando sequuntur , cum conscientia dubia operari . Suus huic criminationi erit locus : juvat nunc opinionis , & dubitationis discrepantiam ostendere .

13. S. Thom.

Digitized by Google

13. S. Thom. ait (a) *Quidam actus intellectus habent cognitionem informem absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti, sive in unam partem magis declinent, sed tenentur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhæreat, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti.*

14. Opinio igitur, suspicio, & dubitatio non una eademque notione gaudent, sed plane diversa: dubitans videlicet in neutram contrariarum partium declinat; suspicans magis inclinat in unam, quam in aliam partem, illi tamen nondum adhæret, eo quod levi signo, aut tenui rationis momento ducatur; opinans demum non inclinat modo in unam partem magis quam in aliam, sed gravi ductus ratione illi etiam adhæret, & assentitur, quamvis cum prudenti formidine propter argumenta partis contrariæ, ratione cujus formidinis adhæsio imperfecta est, incertus assensus, atque ab assensu Divinæ fidei, scientiæ, & moraliter certæ cognitionis distinctus.

15. Ad eam, quam secundo loco S. Tho. commemoravit, suspicionem pertinere illam opinionem crediderim, quæ tenuis probabilitatis opinio nuncupatur, eo quod & ista aut levi admodum fundamento suffulta, aut ab uno tantum juniore Auctore adinventa, de se

(a) S. Tho. 2. 2. qu. 2. art. 1.

nutet : nam eam veluti probabilem traducere Alex. VII. vetuit, quum hanc ordine 27. propositionem damnavit (a): *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet, rejectam esse a Sede Apost. tanquam improbabilem.*

16. Quin imo neque probabilem dixerim propositionem, quæ ab uno, vel altero Auctore etiam antiquo, & cæteroquin magni nominis proferatur, si Ipse, quemadmodum Cardenas (b) sapienter admonet, vel nulla ratione adsertum confirmet; vel rationem adferat prudentis assensus non dignam; vel apud reliquos Theologos male audiat, & impugnetur; vel demum si singularis Illius Auctoris opinio alicui principio certo adversari videatur: quum enim hæc adsunt, Auctoris Sapientis adsertio minus sapienter dicta censeri debet, & cui non nisi imprudentissime assentiaris.

17. Verum intermissam dubitantis ab opinante discrepantiam persequamur. Idem S. Thom. (c) scripsit: *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel proper defectum moventium sicut in illis problematibus, de*

(a) Alex. VII. in decr. 7. Sept. 1665.
(b) Carden. in Exposit. propos. damnat. disser. 4. cap. 5.
(c) S. Tho. qu. 14. de verit. ar. 1.

de quibus rationes non habemus (si hanc ignorantiam appellare malueris , quam dubitationem , per me licet) *vel propter apparentem æqualitatem eorum , quæ movent ad utramque partem ; & hæc est dubitantis dispositio , qui fluctuat inter duas partes contradictionis .*

18. *Quandoque intellectus inclinatur magis ad unum , quam ad alterum , sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum in unam partium totaliter . Unde accipit quidem unam partem , tamen semper dubitat de opposita , & hæc est dispositio opinantis , qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius .*

19. Inter dubitare igitur , & opinari hoc interest , quod qui proprie dubitat , inter utramque partem fluctuat , nulli adhæret ; qui opinatur , quamvis improprie dubitet , seu formidet , *unam* tamen *accipit partem* , uni adhæret , eique non perfecte quidem , seu *totaliter* assentitur , assentitur tamen .

20. Assentitur , inquam , S. Tho. doctore ; quia non *fluctuat inter duas partes contradictionis* , ut fluctuat dubitans , ac nulli consentiens ; sed *in unam determinatur* , *unam accipit* , uni adhæret : adhæret autem uni non *totaliter* seu perfecte , quod proprium est judicantis saltem morali certitudine ; sed adhæret uni parti cum formidine partis contrariæ , quam illi formidinem ingerunt ipsius contra-

riæ

riæ partis argumenta : atque propter illam formidinem dicitur de parte *opposita dubitare*, non totali scilicet, ac proprie dicta dubitatione; hac enim fluctuaret inter utramque partem, uni non adhæreret; sed dubitatione improprie dicta, sive sola formidine, quæ impedit quidem certitudinem, non tamen omnem adhæsionem. Verbo dicam: opinio suapte natura importat assensum, & formidinem; formido efficit, ne assensus ad certitudinem pertingat; assensus efficit, ne formido in dubitationem se vertat.

21. Consentiunt expositæ Angel. Doct. doctrinæ Alex. Alens. (*a*) Albert. Mag. (*b*) Altisiodor. (*c*), S. Bonav. (*d*), Durand. (*e*), Paludan. (*f*), Scot. (*g*), S. Antonin. (*h*), aliique innumeri, qui quum a dubitatione assensum excludunt, eumque ad opinionem requirunt, his, qui opinionem cum dubitatione confundunt, e regione adversantur.

22. Porro intellectus, propositis sibi duabus contradictionis partibus, non necessario hæ-

(*a*) Alex. Alen. par. 2. qu. 118. mem. 1. art. 4.
(*b*) Alber. Mag. in Sum. de creat. par. 2. trac. 1. qu. 51. art. 1.
(*c*) Altisiod. in 2um. tract. 3. cap. 3.
(*d*) S. Bonav. iu 3um. dist. 17. in explic. litt. dub. 3.
(*e*) Duran. in 3um. dist. 17. qu. 2. nu. 10.
(*f*) Palud. in 3um. dist. 17. qu. 2.
(*g*) Scot. in 3um. dist. 39. §. *Vniversaliter*.
(*h*) S. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 10. §. 9.

hærere dubius debet, sed potest opinari, sive alteri earum, & quidem vel æque, vel minus etiam probabili ad operandum assentiri. Exemplum exhibet S. Thom. quum (*a*), docet, necesse non esse, ut qui serio, ac efficaciter finem intendit, media eligat utiliora, & efficaciora; sed ab illo posse prudenter media minus bona, & minus utilia, dummodo sufficientia ad finis assequutionem sint, utilioribus præponi. Scitissime Joan. a S. Thoma. (*b*), *neminem teneri*, ait, per se loquendo) *sequi*.; *quod prudentius apparet* . . - *neque ex parte melioris medii ad aliquem finem, quia potest eligi medium sufficiens, & utile, nec tenetur semper eligere utilissimum, & optimum: neque ex parte directionis, quia non tenetur quis esse prudentissimus*:

23. Ut vero intellectus æque, vel minus probabili contradictionis parti opinando assentiatur, esse in causa voluntas potest, a cujus imperio ille profecto non eximitur, sed imo ei subordinatur: quum illud sit, S. Tho. teste (*c*), intellectum inter & voluntatem discrimen, quod intellectus sæpe movetur a voluntate ad agendum; voluntas autem *non ab alia potentia, sed a se ipsa: ac multis in rebus*

(*a*) S. Thom. 1. 2. qu. 13. art. 6. ad 1.
(*b*) Joan. a S. Tho. in. 1. 2. qu. 18. dis. 12. art. 3.
(*c*) S. Tho. in qu. de malo 6. art. 11. ad 10.

Digitized by Google

bus, ut inquit S. Ignatius de Loyola (*a*), *in quibus cognitæ veritatis evidentia vim intellectui non infert, potest ille voluntatis pondere in hanc partem potius, quam in illam inclinari.*

24. Et sane, quod certissimum Divinæ Fidei assensum spectat, testes sunt locupletissimi Ss. Augustin., & Prosper, quorum Ille (*b*) ait: *Quare autem non poterant credere, si a me quæratur, cito respondeo: quia nolebant*: Iste vero (*c*) *Nunquid dubium est, quum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere?*

25. Quod attinet ad opinionem, S. Tho. (*d*) hæc docet: *In potestate habet homo* (quum evidenter rei veritas non apparet) *quod assentiat uni, vel alii parti contradictionis, sicut accidit in omnibus opinabilibus, & maxime circa operabilia, in quibus plurima attenduntur, secundum quorum quodlibet aliquid potest judicari bonum*. Et alibi (*e*) *Aliquando intellectus non movetur ab objecto proprio sufficienter, sed per quamdam electionem voluntatis declinat in unam partem magis, quam aliam, & si quidem hæc sit cum dubitatione*

(im-

(*a*) S. Ignat. in epist. de virt. obed. §. 9.
(*b*) S. Aug. tract. 53. in Joan.
(*c*) S. Prosper in resp. 4. ad Excerp. Genuen.
(*d*) S. Tho. in 3. Ethic. lect. 13.
(*e*) Idem 2. 2. qu. 1. art. 4.

(improprie dicta) *& formidine alterius partis*, *erit opinio*.

26. Si voces *per quamdam electionem* bene notentur, vocari reliqua poterunt in concordiam cum his, quæ in qu. 14. de verit. (*a*). S. Tho. scribit, videlicet *In scientia*, *& opinione non est aliqua inclinatio ex voluntate*, *sed ex ratione tantum*. In hac enim qu. S. Tho. scientiam, & opinionem cum fide comparat; & certe quum Divina fides sublimium juxta, ac non apparentium rerum sit, atque insuper firmissima; ad eam proculdubio requiritur pia quædam affectio, quæ perfecta deliberatio sit, atque efficax voluntatis nisus, intellectum determinans ad firmissimum, & rationum impellentium merito, seu pondere superiorem assensum, qualis esse debet assensus Divinæ fidei, prout Innoc. XI. (*b*) declaravit.

27. Scientia vero quum solummodo subiaceat libero arbitrio secundum præviam rationum, seu momentorum considerationem; *est enim in potestate hominis*, prout ipse S.Tho. (*c*) docet, *considerare*, *vel non considerare rationes*, & sic scientiam impedire, vel non impedire; illa consideratione semel adhibita, nulla indiget intellectus voluntatis deliberatione, qua immediate ad sciendum determinetur.

28. Ad

(*a*) Idem qu. 14. de ver. art. 3. ad 5.
(*b*) Innoc. XI. in decr. 2. Mart. *1679*. prop. 19.
(*c*) S. Tho. qu. 2. de verit. art. 9.

28. Ad scientiam igitur nulla opus est voluntatis deliberatione: ad fidem opus est robusta deliberatione, ac imperio, omnem falsi formidinem repellente, ut idem Innoc. XI. (a) definivit: ac denique longe inferior, debilior, & formidini obnoxia voluntatis electio satis ad opinandum est.

29. Quamobrem S. Tho. quamvis in Summa *quamdam voluntatis electionem* ad opinandum exegerit, & in qu. de verit. *nullam*, minime sibi contradixit: vere enim nulla ad opinandum requiritur voluntatis deliberatio, ei similis, quæ ad fidem, cum qua opinionem in qu. de verit. comparabat, necessaria est; tametsi opinans *per quamdam*, inferiorem nempe, debiliorem, & formidini obnoxiam *voluntatis electionem declinet in unam partem magis, quam aliam*.

30. At inquies: quando utraque contraria opinio, quarum altera pro lege est, & prohiberi operationem adfirmat, altera prohibitam operationem esse negat, & libertati suffragatur, quando utraque, ais, illa contraria opinio æquali ptobabilitate gaudet, quî fieri poterit, ut voluntas intellectum ad uni potius, quam alteri assentiendum alliciat? Nil certe pro una parte voluntas inveniet, quo ad conciliandam ipsi intellectus assensionem moveatur, nisi illam opinionem, quæ legi favet, esse tu-

(a) Inn. XI. ibi prop. 21.

tutiorem, quam quæ hominis libertati, ac commodis arridet.

31. O bone! nonne opinionem faventem libertati mitem, seu benignam appellas; rigidam vero, ac severam legi faventem? quamvis ergo opinio libertati favens æqualis probabilitatis sit, ac favens legi, quin imo licet illa sit hac minus probabilis, in ista invenit voluntas severitatem, quam recuset, in illa lenitatem invenit, qua alliciatur.

32. Etenim *nihil probibet*, ait S. Tho. (*a*) *si aliqua duo æqualia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum, quam in aliud*. Potest igitur voluntas opinionem tutiorem, sive legi faventem, ob ejus severitatem respuere, atque ad assentiendum minus tutæ, quæ libertati favet, propter ipsius lenitatem intellectum pertrahere, potest utique, num vero licite possit, postea dirimetur.

33. Interim August. audi, qui (*b*) quæst. hanc proponit: liceat necne laicis quotidiana Eucharistica communio? & post adductas in medium contrarias hominum opiniones, alteram adfirmantem licere, quæ libertati quotidie Eucharistiam sumendi suffragabatur; alteram negantem, quæ illi libertati obstabat, & Commu-

nio-

(*a*) S. Tho. 2. 2. qu. 13. art. 6. ad 3.
(*b*) S. Aug. epist. 118. cap. 3.

nionem quotidianam prohibitam adserebat, neutram earum alteri anteponens, concludit: *Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipue in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus, & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt . . . nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium.*

34. Audi Durand. (*a*) qui post relatam sententiam adserentium, *eum qui tempore jejunii comedit plusquam semel, qualibet vice mortaliter peccare*, addit: *Istud autem, etsi sit probabiliter dictum, videtur tamen multum durum; & ideo potest aliter dici, & mitius, quod talis homo non peccat mortaliter in qualibet comestione.*

35. Gravissima demum Gerson. verba (*b*) indelebili memoriæ manda: *Fit*, inquit, *præterea quandoque, ut per tales assertiones publicas, nimis duras, generales, & strictas præsertim in non certissimis, nequaquam eruantur homines a luto peccatorum, sed in illo profundius, quia desperatius immerguntur.*

36. Quan-

(*a*) Durand. in 3. dist. 15. qu. 11. art. 9.
(*b*) Gerson. in lib. de vita spir. par. 3. lect. 4. corol. 10.

36. Quandocumque igitur probabilibus gravium rationum momentis disputatur, sit necne opus aliquod a lege prohibitum, & nil certi pro alterutra parte potest statui, velle voluntas potest non severam, qua prohibitio adseritur, sed benignam, qua negatur, opinionem amplecti; potest prudenter intellectus, illa voluntatis versus mitiorem partem inclinatione allectus, opinioni benignæ consentire, & rem non esse prohibitam, solide probabili, quamvis non certa assensione censere; & potest insuper vir prudens in aliam veri cognitionem assurgere, omnique errandi formidine deposita, sibi persuadere, actionem illam, quæ ab aliis prohibita dicitur, ab aliis non prohibita, certo licere.

37. Potest, inquam, vir prudens in hunc vel similem modum secum ipso ratiocinari: *Quod prudenter judico mihi licere, mihi certo licet*; quis enim ad licite operandum, aut evidens judicium, quod ferme haberi nequit, aut alio quolibet prudentius, quod vix, & ne vix quidem reperiri posset, necessario requirat? *atqui actionem, de cujus prohibitione disceptatur, prudenter judico mihi licere*; opinio namque benigna, id adserens, utpote gravissimis tum rationum momentis, tum Sapientissimorum hominum placitis suffulta, prudens est, nec imprudens prudenti videri potest: *ergo mihi operatio, de cujus prohibitione con-*

 tro-

troversiam Doctores habent, certo licet. Atque en ut nostra nos oratio in rei summam, & totius Dissertationis scopum veluti inopinato conduxit.

CAPUT II.

Vera Probabilistarum sententia proponitur, & propugnatur.

38. IN ea sunt sententia Probabilistæ, ut adserant, & validissimis quum auctoritatis, tum rationis documentis plane conficiant, in conflictu contrariarum opinionum, quarum altera rigida, & tutior dicitur, quia hominem lege obstrictum esse asseverat; altera benigna, minusque tuta, quia hominem illius obligationis facit immunem, fas esse juxta benignam, minusque tutam operari, tametsi hæc probabilior illà non sit, sed vel æqualis, vel minoris etiam probabilitatis: dummodo minus tuta, minusque probabilis opinio, quam sequi vir prudens meditatur, non tenuiter, ac dubie, sed certo, & solide probabilis, gravibusque rationibus sit innixa; dummodo illius opinionis usus in damnum tertii non vergat; & dummodo antequam operari, juxta opinionem illam quis statuat, omnem peccandi formidinem deponat, atque certo sibi persuadeat, prout persuadere sibi pru-

prudentiſſime poteſt, vere licitam eſſe operationem, quam opinio minus probabilis, ac tuta licere affirmat.

§. I.

Hiſtorica Probabiliſmi synopſis.

39. Præfatam Theologorum Probabiliſtarum ſententiam in Div. litteris, aut apud S. S. Patres illis expreſſam verbis nequidquam requires; namque nullà anteactis sæculis controverſià excitatà, omnes unanimi conſenſu licere cuivis juxta prudentia rationis dictamina actiones ſuas digerere in compertiſſimis habebant, quin ad prudentiora capeſſenda quemquam obligarent.

40. Interdum quidem Patres in ſuis homiliis ad tutiora minus tutis anteferenda multitudinem hortabantur: id autem aut ſolius conſilii loco perhibebant; aut ſolummodo dubitanti, nec dubitationem ſuam deponenti, illam antepoſitionem neceſſariam eſſe adfirmabant: & ne tum quidem ad præferenda tutiora, horum probabilioritatis prætextu utebantur, utpote qui probe cognoverant, non omnia tutiora ſimul probabiliora eſſe.

41. Neque Probabiliſmum igitur, neque Probabilioriſmum aut Div. Scripturæ, aut Veteres P. P. expreſſis verbis tradidere: verum

nihil ex purissimis illis veri, bonique fontibus contra Probabilismum, non nihil, quin imo multum per omnem modum contra Probabiliorismum erui posse, Probabilistæ contendunt; atque istud, quum sententiam suam rationibus, & auctoritate comprobant, evincunt; illud vero, quum Probabilioristarum obiectionibus respondent. Suis isthæc perpendentur in locis.

42. Duo hic vel in primis sunt animadversione dignissima, nimirum non admodum æqua severitas, qua Cl. Gazzaniga in nota 1. ad num. 27. Terillum suggillat, quia *Bmam Virg., Ipsum Christum (pro! nefas) Probabilismo usum fuisse, contendit*: atque humanissima facilitas, qua Ipse ibid. Natali Alexandro applaudit, quoniam *inter Christianos Probabilismum primo a Pelagianis usurpatum fuisse observat*.

43. Ad primum quod attinet, locus, in quo illud Terillus asseruit, nullus designatur, & designari certe debuisset, ne quis illam propositionem nullibi a Terillo fuisse conscriptam suspicetur, sed Cl. Recentiorem apud aliquem alium Auctorem, puta Concinam, Terillo affictam invenisse, & tantummodo transcripsisse. Hæc sane mihi insedit, & manet suspicio; quippe quum Terilli volumen, adsertum illud pervestigando, diligenter evolverim, in locum incidi (*a*) ubi Bmam. Virg., & S. Jo-

(*a*) Terill. qu. 22. nu. 101.

& S. Josephum usos fuisse opinione probabili Terillus affirmat; at de Christo Domino, tametsi illi certe, si cui loco, ea Christi commemoratio congrueret, ne verbum quidem facit.

44. Quodsi vero alio quovis in loco Terillus Christum Domin. adfirmasset usum fuisse opinione minus probabili non sua, sed quæ ab hominibus minus probabilis censebatur, sibi autem neque minus, neque magis probabilis opinio erat, imo neque opinio, sed certa, & evidens scientia; nulla sane illum criminatione dignum existimaverim, quum ex Matt. (*a*), Mar. (*b*), & Lucæ (*c*) Evangeliis apertissime constet, Christum Dominum in illa quæstione *Si licet Sabbatis curare?* sua usum fuisse verâ, ac firmâ sententiâ, quæ Scribis, & Pharisæis minus probabilis videbatur.

45. Ac tandem si aliquo Terillus in loco, qui me, totum Terilli Opus perlegentem, prætervolaverit, *Christum Domin. Probabilismo usum fuisse*, sic jejune, & incompte conscripsisset, imprudens ejus, absurdumque jactatum minime probarem, sed imo animadversioni in ipsum consentirem, & affirmatissime assererem, Christum Dominum neque u-

B 3 sum

(*a*) Matt. 13.
(*b*) Mar. 3.
(*c*) Luc. 6.

sum unquam fuisse, neque uti potuisse Probabilismo.

46. Is quippe uti Probabilismo dicitur, qui contrariarum opinionum mere, solide tamen probabilium argumenta contemplans, uni parti æque, vel minus probabili assentitur cum formidine errandi, neutri sine formidine: deinde judicium reflexum certum apud se efformat, quo operationem vere esse licitam sibi certo, & absque formidine persuadet: ac ductus tandem isto judicio operatur.

47. Jam vero, cedo mihi, ecquisnam Christo Domino neget, quod Beatorum cuivis conceditur, imo & in statu innocentiæ viatori Adamo? *in quo, si in statu innocentiæ permansisset* (S. Tho. (a) sunt verba) *non solum nulla opinio falsa fuisset, sed penitus nulla opinio in eo fuisset, & quidquid cognovisset, secundum certitudinem cognovisset.*

48. Potiori igitur jure SSma Christi Domini anima, utpote quæ scientiâ infusâ moraliter infinitâ, vel summâ, certissimisque rerum cognitionibus divinitus cumulata erat, & *plena*, ut S. Joan. ait in Evang. (b), *gratiæ, & veritatis*, nullâ errandi formidine laborare poterat, nil poterat opinari; sed primis etiam, atque directis cognitionibus evidenden-

(a) S. Tho. qu. 18. de verit. art. 6.
(b) S. Joan. in Evang. cap. 1.

Digitized by Google

denter noverat, quidquid noverat: ergo Christus Dominus, cum opinari non posset, uti Probabilismo nequibat.

49. Atque en tibi causam, ob quam Clem. XIII. an. 1761. propositionem istam: *Probabilismus Christo Domino summe familiaris fuit*, veluti erroneam, & hæresi proximam proscripsit, non quidem ex Opere Terilli excerptam, ubi non est, sed in folio contentam undecim thesium, quas an. 1760. Parochus Avisien. in Trid. Diœc. evulgaverat.

50. Quod Nat. Alex. observationem spectat, illa certe Max. Doct. S. Hieronymo tam adversatur, quam adversatur Rigorismo Probabilismus: namque S. Hieronym. Pelagianos Rigorismi fautores, atque suasores repræsentat, adeo lepide, ac scite, ut non injucundum fore judicaverim ejus sententiam, tametsi longiusculam, referre. In Dialogis igitur adversus Pelagianos Pelagianum quemdam S.Doct. inducit, cum eoque (*a*), disputat in hunc modum.

51. *Libet sententias tuas parumper discutere, ut intelligant Sectatores tui, quam divinum in te mirentur ingenium. Dicis, sine peccato esse non posse, nisi qui scientiam legis habuerit. Per quod magnam partem Christianorum excludis a Justitia; & qui prædicator es impeccantiæ, omnes prope peccatores esse pro-*

(*a*) S. Hieron. in Dialog. adv. Pelag. lib. 1.

nuncias. Quotus enim quisque Christianorum habet legis scientiam, quam in multis Doctoribus aut raro, aut difficulter invenias?

52. *Verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam fœminas habere debere.... Nec sufficit tibi dedisse agmini tuo scientiam Scripturarum, nisi earum voce, & canticis delecteris. Jungis enim, & ponis in titulo, quod & fœminæ Deo psallere* (in Templo) *debeant. Quis enim ignorat, psallendum esse fœminis in cubilibus suis, & absque virorum frequentia, & congregatione turbarum? Verum tu donas, quod non licet: quum Apost. doceat* (*a*), ut paulo ante Hieron. adnotaverat, *esse tacendum mulieribus in Ecclesia.*

53. *Nec hoc sufficit, sed... de Zenonis nobis tonas supercilio, Christianum illius debere esse patientiæ; ut si quis sua auferre voluerit, gratanter amittat. Nonne nobis satis est patienter perdere, quod habemus, nisi violento, atque raptori agamus gratias?.. Evangelium... non præcipit, ut agamus gratias; & læti nostra perdamus. Hoc dico, non quod aliquid sceleris in hac sententia sit, sed quod ubique mediocria transeas, & magna secteris.*

54. *Unde adjungis, gloriam vestium, & ornamentorum Deo esse contrariam. Quæ sunt,*

re.

(*a*) Apost. 1. ad Tim. 2.

rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem? Si Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus Ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione Sacrificiorum cum candida veſte proceſſerint? Cavete Clerici, Cavete Monachi, Viduæ, & Virgines periclitamini, niſi ſordidas vos, atque pannoſas vulgus aſpexerit. Taceo de hominibus ſæculi, quibus aperte bellum indicitur, & inimicitiæ contra Deum, ſi pretioſis, atque nitentibus utantur exuviis. Hæc Hieronym. de Pelagianorum Rigoriſmo.

55. Verumtamen Gazzaniga cum Nat. Alex. Pelagianos Probabiliſtas fuiſſe dicit, imo & Probabiliſmi Conditores: nullum vero coævi ullius Auctoris teſtimonium adfert, nullum e Pelagianorum libris documentum; ſed paucula dumtaxat Cœleſtii verba, quibus in Syn. Carthagin. interrogatus, an alios præter Ruffinum ſuorum errorum patronos haberet? respondiſſe dicitur: *Non ſufficit tibi unus Sacerdos?* Hæc autem reſponſio, ſi quid evincit, evincit Probabiliſtam fuiſſe Cœleſtium, non vero reliquos Pelagianos, multoque minus iſtos fuiſſe Probabiliſmi primos uſurpatores: quum illo pacto reſpondere Cœleſtius potuiſſet, etiamſi vel ipſe ſolus fuiſſet Probabiliſta, vel Pelagiani Probabiliſmum ab aliis ſe antiquioribus accepiſſent.

56. Re

56. Re tamen vera Probabilistis non unus, vel alter Doctor, tametsi Ruffino præstantior, satis est; sed majorem Doctorum numerum, & majorem in ipsis auctoritem exigunt, majorem inquam auctoritate Ruffini, qui, ut Labbæus refert (*a*), quod Origenis partium acerrimus defensor, Pelagianorum amicus, & novorum dogmatum sectator esset, apud S. Hieron. male audivit. Ac præter numerum, & auctoritatem Doctorum gravia, ac solida rationum momenta, quibus adsertio confirmetur, potissimum Probabilistæ requirunt. Quorum adminiculorum defectu Cœlestius suo cum Ruffino non Probabilistam se, sed temerarium prodidit.

57. Sed vero fuerint Probabilistæ Pelagiani, prout applaudente Cl. Prælectore, Nat. Alex. observat. Quid tum vero postea? Tum certe falsum in primis deprehendetur Recentioris effatum, quo num. 27. asseruerat, *Probabilismum in Hispania diu latuisse, & ante sæc. XVII. vix ullum alibi apparuisse Probabilismi vestigium*: quandoquidem Pelagiani duodecim sæc. ante XVII. in Africa, & in ipsa Concilii Carthag. luce, Nat. Alex. postea testante, & nostro Prælectore applaudente, Cœlestii ore Probabilismum professi sunt.

58. Nullum præterea æqui, verique detrimentum ex Pelagianorum patrocinatione Proba-

(*a*) Labb. de Scriptor. Eccl. tom. 2. ver. *Ruffinus*.

Digitized by Google

babilismus patietur: sicut enim, ipso Gazzaniga fatente num. 33., *nemo Calvinum reprehenderit, quod Michaelem Servetum, aliosque Anti = Trinitarios exagitaverit*: ita nemo Cœlestium, cæterosque Pelagianos reprehendet, quod Probabilismo usi fuerint; quum nemo nesciat, *nullam malam segetem esse, in qua non bonum aliquod spicum* reperiatur, ut Varro dixit (*a*): & quum quivis vel mediocriter in rebus theologicis versatus, nullam inesse sciat Probabilismo cum dogmatibus, in quibus Pelagiani a vero aberrabant, connexionem, nullam affinitatem. Nihil igitur Pelagianorum errores detrahere potuerunt Probabilismo, ab eisdem, si Superis placuit, adserto; sed tantum is a Pelagianis magnam pervetustæ antiquitatis commendationem accepisset.

59. At quod verum est fateor: neque apud Eterodoxos, neque apud Orthodoxos ante XVI. Ecclesiæ sæc. Probabilismi nomen, aut descriptionem, aut patrocinationem, multoque minus refutationem reperies; reperies tamen frequentissimum usum: quum plerique omnes P. P., prout Cardenas ostendit (*b*), ad licite operandum prudentibus rationis dictaminibus contenti essent, haud requirerent prudentiora. Quod in Operibus Lactantii, Hieronymi, Augustini, Cassiani, Leonis Mag., Cæsar.

Are-

(*a*) Varro de lege *Mænia*.

(*b*) Carden. 1. par. Cris. theol. diss. 1. cap. 6.

Digitized by Google

Arelat., & Bernardi quisque observare poterit, eorumque selectiora testimonia suis pro re nata in locis Dissertatio producet.

60. A Sæc. XII., in quo & S. Bernard. ultimus memoratorum Patrum, & Petr. Lombard. primus Doctor. Scholastic. mortem oppetiverunt, usque ad Sæc. XVI., in quo floruit primus Probabilismi Elucidator, ac Promotor Barthol. de Medina, huic Cl. Theologo, ejusque lucubrationi per quatuor fere integra illa sæc. D. D. plurimi præluserunt satis aperte.

61. Sæc. XIII. Alex. Alens., Guillel. Altisiod., B. Alber. Mag., Card. Hostien., S. Raymun. de Pegnafort, S. Thom., S. Bonav., Richar. de Media Villa. Sæc. XIV. Friburg. Episc., Scot., Durand., Petr. Paludan., Villel. Rodonen., Joan. Andræas J. C., Thom. de Argentina. Sæc. XV. Baldus J. C., Gerson., S. Antonin., Dionys. Carthus., Nicol. de Orbellis, Gabr. Biel. Sæc. XVI. Silvest., Joan. de Tapia, Barthol. Fumus, Domin. Sotus, aliique quamplurimi, & tempore, & loco, & institutis disiunctissimi, atque aliis in rebus discordes, in hanc unam unanimiter concedentes, quorum testimonia Terillus (*a*), in medium producit, ac per centum circiter paginas Probabilistarum sententiæ irrefragabilem auctoritatem, & antiquitatem erudite demonstrat.

62. Sub

(*a*) Terill. qu. 22.

62. Sub finem ejusdem Sæc. XVI. anno scilicet 1577. Barthol. de Medina Vir. Cl. (a) quæstionem hanc gravissimam expressis verbis conceptam excitavit : licere cuivis adseruit opinionem minus tutam, minusque probabilem sequi, relicta probabiliore, & tutiore; multis id ipsum validissimis rationum momentis comprobavit; atque contrariæ sententiæ firmamenta articulatim, & accurate dissolvit.

63. Bartholomæum de Medina sequuti sunt ex eodem Præcl. P. P. Dominicanorum Ordine Ludov. Lopez, Thom. Mercad., Paul. Nazar., Dominic. Bannez., Didac. Nunnez Cabez., Greg. Martinez., Petr. de Ledesma, qui eam sententiam *teneri*, ait, *a multis Doctoribus, ac præsertim a Discipulis S. Thomæ*, Vincent. Candid. Mag. Sac. Pal., Joan. Ildephon. Baptista, Paul. de Blanchis, Joan. Bapt. Hacquet. apud Stephan. des Champs in quæstione facti (b), Thomas Villar, citans pro eadem Medinæ sententia Lorcam, Cornejum, Montesinos; Barnabas Gallego, qui sententiam eam *communiorem esse* dicit *inter Thomistas*, Franc. Lopez de Teneda, Joan. a S.Thoma, Dominic. Gravina, Martin. de Prado, Vincentius Ferre apud Franc. Anton. Zachariam Virum Eruditiss. in notis ad prædictam facti quæstionem : neque prætermittendus Constan-

(a) Bart. de Medina in 1. 2. qu. 19.
(b) Des Champs in Quæst. facti cap. v.

stantinus Roncaglia e Congregat. Matris Dei, vir cum primis Theologiæ peritus, cui (*a*), Probabilismus singulare quidpiam acceptum refert, quo mirifice comprobetur.

64. His subnectere lubet, quæ doctiss. ille Theolog. Vincent. Ferre contra Jul. Mercor. scribens, memoriæ tradidit (*b*); *His*, inquit, *præsumit Inquisitor Mercorus reportare triumphum, & palmam contra Probabilistas, dum sibi suadet, S. Doct. Thomam in ea fuisse opinione, quæ non admittit licitum usum opinionis vere probabilis. Sed si verum est, quod opinio opposita Magistrorum facit dubitare Magistrum, nescio quam ob causam neothericus iste non dubitaverit, de hac sua nova sententia, videns Illustriss. Thomistas Magistros nostros, nempe Bannez, Medin., Sotum, Joan. a S. Thoma, Serram, Martinez, & innumeros alios: qui Thomisticam doctrinam suis illustrarunt Scriptis, & veram mentem D. Thomæ tradiderunt posteris, tenere oppositum, quod non docuissent, si contra D. Thom. esse sensissent.*

65. Stephan. autem Des Champs loco cit. *Dominicani Recentiores*, ait, *quibus modo dandus est locus, tam admirabili consensu utriusque opinionis* (prima erat: ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam,

(*a*) Roncaglia Theol. Mor. tom. 1. tract. 1. cap. 2.

(*b*) Ferre tom. 2. in 1. 2. trac. 6. de probab. qu. 9. §. 3. nu. 338.

tam, quamvis probabilior non sit: secunda: ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem, quamvis non sit tutior) *patrocinium susceperunt, ut ex iis, qui post Barthol. Medin., id est, ab annis fere centum de hac controversia scripserunt, nullum plane viderim* (viderat autem Stephanus bene multos) *vel ab Auctoribus hoc tract. toto citatis* (ac bene multi certe citantur) *appellatum legerim, qui vel in speciem contrarium docuerit*.

66. Duo quidem istinc evidenter eruuntur. Primum, Stephanum des Champs a Cl. Prælectionum Auctore num. 28. insimulari falso, quod Probabilismum dixerit *ab omnibus Theologis, & Episcopis fuisse adoptatum*. Dixit ille sane: *Veteres Thomistæ, quorum testimonia hactenus recitavi, priorem sententiam* (Probabilistarum) *apertissime omnes defendunt*: At enim vero omnes Thomistæ veteres, quorum Stephanus recitaverat testimonia, omnes Theologi, & Episcopi dici non possunt, nisi ab eo, qui nullum existimet aut Theologum, aut Episcopum fuisse præter Veteres illos Thomistas, quorum testimonia Stephanus recitaverat.

67. Secundum, Probabilismi Regnum post initium sæc. XVII. non incepisse, neque triginta fere annis concludi posse, prout *incepisse, & concludi* adseruit præcedenti num. 27. Cl.

Digitized by Google

Cl. Prælector. Jam enim ab anno 1577., in quo Barthol. de Medina Commentarios in S. Thom. primum in lucem edidit, vigere inceperat Probabilismus; & anno 1659., in quo Stephani des Champs lucubratio primam lucem aspexit, proculdubio vigebat.

68. Viguit utique Probabilismus, & longe majora temporum spatia D. D. Probabilistæ impleverunt, quam ut illius celebritas intra triginta annorum angustias circumscribi possit. Longam illorum D. D. seriem Jul. ipse Mercorus Anti = probabilista descripsit (*a*); Terillus autem (*b*) elenchum, a Mercoro exaratum, valde diminutum ostendit, multosque alios ad numerum usque ducentorum superaddit, quorum plerosque a se evolutos, & perlustratos fuisse dicit.

69. His alios 25. adjunxit Gregor. Govat. (*c*), alios Moya (*d*), alios Perea (*e*): illisque omnibus addi possunt Cardenas, Fuente Hurtad., Viva, Aranda, Aunold., Illsung., Platel., Michael de Fuentes, P. Paul. Segneri, Alphons. de Liguori, aliique non pauci: ita ut Martin. de Esparza, Sac. Pœnitent. Theol., di-

(*a*) Mercor. in Basi Theol. Mor. par. 2. ar. 29.

(*b*) Teril. qu. 22. a nu. 9.

(*c*) Govat in clypeo nu. 5.

(*d*) Moya tom. 1. Select. trac. 1. qu. 5., & tom. 2. in appen. qu. 6.

(*e*) Perea in lydio lap. sec. 3. a nu. 29., & sec. 34. a nu. 405.

Digitized by Google

dicere (*a*) non dubitaverit, opponi posse unicuique Probabilioristæ decem Probabilistas; citat. autem Terill., opponi quadraginta Probabilistas posse unicuique Probabilioristæ. Ac demum Probabilistarum sententiam jam ab anno 1592. Michael Salon, ab anno 1593. Gregor. de Valentia, paulo post Suarez, Vasquez, & Petr. Navarro *communem* appellaverunt.

70. Perperam igitur Gazzaniga num. 31. inquit, *magnam illam Probabilistarum turbam, quæ ab initio Sæc. XVII. usque ad ejus medietatem erupit, si justa lance pendatur, valde parum habere ponderis; fuerunt enim majori ex parte Casuistæ ignobiles, quorum plurimi alios sine delectu, ut ovis ovem, sequebantur:* Perperam illorum libris universim, ac sine delectu laxitatem affingit: & perperam utrumque Terilli, *qui prima inter Probabilistas subsellia occupat*, longa eloquutione confirmare contendit.

71. Hæc ille sane in medium produxit, ut Probabilistas, prout instituti a se Operis ratio postulabat, lacesseret, illorumque sententiam traduceret veluti laxorum Casuistarum, qui laxitati viam sternunt, ac omni vitiorum generi lenocinium, & incitamentum parant. Itane vero? Probabilismus, qui ea criminatione exagitetur, dignus est? Id toto

 ter-

(*a*) Espar. in appen. nu. 232.

tertio suæ Prælectionis Cap. Prælector adserit, & inculcat, quod tota ego inficior animi contentione. Ille Terillum, prima inter Probabilistas subsellia occupantem, appellat testem: ego testem appello, prima inter Probabilioristas subsellia occupantem, Rmum. Thyrsum, nec Terillum recuso.

72. Thyrsus itaque in introductione ad Tract. de recto usu opinionum probabilium (*a*) ait: *Ab anno* 1698..... *usque ad annum* 1659.... *ea incrementa habuit sententia benigna, ut in sui assensum traxerit omnes fere Theol., qui eo spatio temporis hanc controversiam discusserunt*. Quum vero in illo temporis spatio, quod ab an. 98. Sæc. XVI. usque ad an. 56. Sæc. XVII. decurrit, 30. illi anni, a Sæc. XVII. initio ducti, quos Prælector num. 27. computaverat, contineantur; Ipsius Prælectoris erit ostendere, fere omnes Theologos, quos toto illo temporis spatio in sui assensum traxit Probabilismus, ignobiles Casuistas fuisse, & laxitatis amatores; quandoquidem iidem illi fere omnes Theologi fuerunt Probabilistæ.

73. *Falso igitur aliqui*, pergit Thyrsus (*b*), *sententiam benignam de usu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ in occursu probabilioris, & tutioris appellant sententiam Jesuitarum, & Casuistarum, quasi soli Jesuitæ*,

(*a*) Thyrsus Gonzalez in Introduc. nu. 4. & 5.
(*b*) Tyrsus ibi nu. 7. & 8.

tæ, *&* *Casuistæ*, *qui nimirum Summas casuum conscientiæ scribunt*, *hanc sententiam tenuerint*: *falso enim nostris Theologis tribuitur sententia*, *quæ jam erat communis anno* 1598., *quando illi hanc quæstionem versare cœperunt*: *falso eisdem solis tribuitur sententia illa*, *quam amplexi sunt ex omni Religiosa Familia*, *&* *ex omni Christiani Orbis celebri Universitate Auctores sapientissimi*.

74. *Falso dicitur Casuistarum doctrina ea*, *quam præter primos Theologos Soc.*, *nimirum Gabriel. Vazquez.*, *Franc. Suarez*, *Gregor. de Valentia*, *Leonardum Lessium*, *è Sacra Prædicatorum Familia tenuerunt etiam primi Theologi Scholast.*, *nimirum Barthol. de Medina*, *Domin. Bannez*, *Didac. Alvarez*, *Joan. à S. Thoma*. Quos sane aliorum vestigia, *ut ovis ovem sequitur*, fuisse sequutos, Cl. Gazzaniga non dicet.

75. Ac tandem *indubitatum profecto est*, Thyrsi ejusdem sunt verba (*a*), *Theologos sententiæ benignæ Patronos*, *doctrina*, *&* *pietate conspicuos*, *complexos illam fuisse*, *non studio laxandi conscientias*, *vel faciendi sibi nomen*; *sed sincero animo consulendi proximorum saluti*, *cui promovendæ benignam sententiam magis*, *quam severam oppositam*, *accommodatam esse censebant ex illo D. Bonav. documento* (*b*).

(*a*) Thyrsus ibi nu. 11.
(*b*) S. Bonav. in Comp. Theol. lib. 2, cap. 52.

Digitized by Google

Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem: prima dicit ſæpe malum bonum, ſecunda bonum malum: Hæc Thyrſus Archi = Probabilioriſta. Quorſum autem illam Jeſuitarum mentionem, à Thyrſo factam, retulerim, modo intelliges.

76. *Nonnullorum è Soc. ſententiæ plus nimio ſunt liberæ*. Non inficior, ſed imo cum Cl. Prælectore, qui in nota 3. ad num. 30. illa verba ex quadam R. admodum P. Mutii Viteleſchii, Soc. Jeſu Gen., epiſtola nobis objecit, ultro conſentio: neque is ſum ego, qui omnia, ac ſingula omnium, ac ſingulorum Jeſuitarum ſcita probem, multoque minus Caramuelis, quem Recentior in nota ſequenti, honoris ergo, judicavit Jeſuitis adjungendum: omnia inquam illorum placita nequaquam probo, gnarus utique *nullum eſſe Opus, in quo non accuſentur homines: atque difficile eſſe ita quidquam peragere, ut nihil erres*, prout ſapienter Socrates dixit (*a*).

77. In Jeſuitarum igitur elucubrationibus ſunt plurima proculdubio bona, mala quædam, multa mediocria, & optima non pauca: *aliter*, ut inquit cum Socrate Martialis, *non fit*, Amice, *liber*. Ex illis Mutius non bona certe, ſed tantum mala reprobavit; ac ne iſta in Jeſuitarum libros irreperent, ſevere ve-

(*a*) Socrat. in Xenoph.

vetuit, *ne Jesuitæ hac regula, & norma in delectu sententiarum uterentur: tueri quis eam potest: probabilis est: doctore non caret*. Quippe ut prudenter aliqua sententia adoptetur, non satis est, si eam tueri quis utcumque possit, sed debet ab ipso solide comprobari: non satis est, si sit probabilis, sed solide, & certò probabilis esse debet: neque satis est demum si patrono non careat, quum istud cuilibet fatuitati, prout vulgaris paræmia fert, commune sit.

78. Mutius itaque Suis prohibuit, ne tenuiter, aut dubie probabiles opiniones seligerent; ut autem probabiliores semper amplecterentur, suadere quidem potuit, & quibusdam admodum paucis etiam persuadere; ita tamen cuiquam præcipere nec voluit, nec potuit: si enim meliora semper amplecti præcepisset, non mala solum, verum mediocria etiam, & bona contra jus, fasque reprobasset.

79. Jam Terilli eloquutionem, à Cl. Prælectore cit. num. 31. allegatam, considerari oportet, & prout æquitas postulat, quod Terillus addidit, Recentior autem prætermisit, illi restitui: *Fuerunt*, inquit Terillus in præfatione, *ex Recentioribus non pauci, qui, levissimis ratiunculis ducti, Antiquorum Theologorum in opinando* (mediocrem, prudentem, ac suavi Evangel. legis jugo accommodatam) se-

severitatem . . . palam auſi ſunt ſcriptis ſuis condemnare . . . Quum enim plus æquo famæ, vanæque de ſua doctrina exiſtimationis eſſent cupidi, mirum eſt quo ardore, atque animi contentione ad Scripta ſua typis mandanda incubuerint . . . . Innumerabiles ſunt, qui à 30. annis (circa annum 1660. Terillus ſcribebat) *Summis caſuum, rerumque moralium Tractatibus Bibliothecas implevèrunt.*

80 *Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? .... in opiniones laxiores oculos animumque conjecerunt, gnari, eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirum placituras . . . Vidi ego ex hiſce Recentioribus non nullos viros cæteroquin egregios, qui quum in rebus ſummi momenti, ad Dei legem, & conſcientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium ſententia ad intolerabilem opinandi laxitatem declinaſſent, aliud tamen, quo moverentur, non habebant, quam argumentum, à ſimili ductum. Vidi, & exhorrui .... eorum audaciam, qui ex laxis reſolutionibus ad alias laxiores iter ſibi, ſeu rectius, & ſibi, & aliis præcipitium aperuerunt.* Hæc tantummodo Cl. Gazzaniga è Terillo.

81. Paulo autem poſt Terillus appoſitiſſime: *Quod vera, quod ſincera probabilitas de honeſtate alicujus objecti ſit ſufficiens regula pro conſcientiæ ſecuritate, veritas eſt unanimi Auctorum omnium præſtantiſſimorum conſenſu ſta-*

Digitized by Google

stabilita. At quod quævis probabilitas etiam apparens, ut aliqui volunt, licite sumi possit in regulam conscientiæ, laxitatem sapit, æquo animo non ferendam: hoc confutatione dignum est, illud defensione. Atque utinam qui laxitatem Recentiorum impugnandam suscepere, probabilitatis naturam exactius investigassent.

82. Ita profecto se res habet: & Vazquez, & Suarez, & Valentia, & Lessius; & Tannerus, & Sanchez, & Azorius, & Becanus, & Layman, & Castropalaus, & Filliuccius, & Reginald., & Terillus, & quotquot prima inter Probabilistas, ac secunda etiam subsellia occupant, suarum partium esse duxerunt nimiam aliorum in opinando laxitatem perstringere, & profligare. Illi sane omnes Probabilismi usum & circa valorem Sacramentorum Ministris, & in litibus dirimendis Magistratibus, & in medicamentis præscribendis Medicis, & ferme in Scientiarum Speculativarum doctrina tradenda Præceptoribus non licere adfirmant.

83. Iidem ita Probabilismum statuunt, ut quandocumque opinio non vere, sed prima specie, non certo, sed dubie probabilis est; quandocumque non gravibus, sed levibus rationum momentis, & Doctorum testimoniis fulcitur; quandocumque alteri præcepto, cujus non mere probabilis, sed certa est cogni-

tio, certo adversatur; quandocumque operans, illa directa opinione contentus, reflexo certoque judicio non autumat licere sibi juxta illam opinionem minus probabilem operari, opinionis minus probabilis antepositionem non licere adseverant. Vera hæc, & genuina Probabilistarum doctrina, tot temperamentis, ac limitationibus circumscripta, refelli, aut improbari facile non potest; & idcirco *Probabilioristæ*, ait Terillus, *sententiam nostram in sensu, à se tantum confićto, à nobis autem non adserto, impetunt, dum eam impugnant.*

84. Laxitatem porro in opinando, qua aliqui Probabilistæ nonnumquam peccant, humanæ ego quidem conditionis imbecillitati, aut socordiæ facile adscribo; adfirmatissime tamen ajo, nullo illam pacto adtribui posse Probabilistico Systemati; quum istud certis, quos dixi, limitibus circumscribatur, ad laxitates arcendas perquam idoneis; & quum plerique Probabilistæ, qui præfixos terminos non prætergrediuntur, absque laxitatis nota systema suum tueantur.

85. E contrario nimium rigorem, quo ferme peccant Probabilioristæ non tam Ipsorum equidem aut ingenio, aut indoli vitio do, quam ipsimet eorumdem systemati: quum pleraque, ac præcipua argumenta, quibus illi omnes, ad suum Probabiliorismum constabiliendum, utuntur, prout retorsione ipsorum non semel de-

demonstrabitur, recta ducant in Tutiorismum non sine magno Jansenianorum emolumento.

86. Id id, obsecro, attentius contempleris, atque illorum memineris, quæ Ss. Joan. Chrysost., & August. tradiderunt: Ille (*a*), *Nonne melius est*, inquit, *propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus*. Iste vero (*b*) de Jansenianorum præcursoribus: *Ne luce charitatis carere ostendantur, umbram rigidæ severitatis obtendunt .... malo Dæmonis dolo, qui per imaginem quasi justæ severitatis crudelem sævitiam persuadet, nihil aliud appetens venenosissimâ versutiâ suâ, nisi ut corrumpat, atque disrumpat vinculum pacis, & charitatis*.

87. Verum illud saltem Probabilistæ fateantur, necesse est, quod num. 29. Cl. Prælectionum Auctor scribit: *nullum* scilicet *Ecclesiæ Pastorem in suis Synodis, vel Institutionibus Pastoralibus Probabilismum probavisse; bene multos vero veriores, probatiores, probabiliores, tutiores sententias*. Atque ibid. in nota 2. *Non inficias ivero*, dicit, *quosdam Episcopos Probabilismo regnanti adhæsisse, eumque in suis scriptis ut privatos Theologos propugnasse* (Istorum magnam copiam exhiberem, si

(*a*) S. Joan. Chrys. ut habet. C. *Alligant* 12. q. 7.
(*b*) S. August. contra epist. Parmen. lib. 3. c. 1.

si Recentior inficias iret) *solum negatur, fuisse ab iis Probabilismum suis ovibus tanquam regulam in praxi tutam aliqua constitutione Pastorali propositum.*

88. Affabre, elegantissime; edoceri autem à Sapientiss. Prælectore vellem, an Episcopi, quotquot in documentis Pastoralibus voces illas *probatiores, probabiliores, tutiores sententias* usurpaverunt, usurpaverint omnes conjunctim, an potius tacita disjunctione usi fuerint? Si conjunctim, aut copulate illas omnes dictiones usurpaverunt: ergo probabiliori sententia contenti non erant, nisi esset ipsa simul tutior: ergo non tam sese Probabilioristas, quam Tutioristas prodiderunt.

89. Si vero disjunctione usi fuere, contenti planè erant sententiâ vel tutiore, vel probabiliore, vel probatiore: atqui probatior sententia, quæ probabiliori contraponitur, & ab eà distinguitur vi disjunctionis, non probabilior est, sed quæ gravibus quidem, validisque innixa rationum momentis, magis animo prudentis probatur: ergo quum sententia benigna, seu libertati favens, vere, ac solide probabilis, magis animo prudentis propter ejus lenitatem probetur, quam probabilior, & tutior, illam Episcopi, in Pastoralibus documentis unà cum probabiliore sub prædicta disjunctione proponentes, optionem ovibus permiserunt.

90. Præterea quandocumque Episcopus opi-

pinionem probabiliorem, atque tutiorem minus probabili, ac tutæ semper esse anteferendam expressis verbis edicit, ejus edictum quivis prudens loco consilii accipit; non autem instar præcepti, atque in hunc modum ipse secum ratiocinatur: Compertum Episcopo est, non in sua tantum Diœcesi, sed ubique terrarum Doctores & multitudine innumerabiles, & cognitione, usuque rerum sapientissimos, & irreprehensibilis vitæ probitate præstantes, etiam postquam diu multumque hujusce rei discussioni laboraverunt, à multis jam retro Sæculis censuisse, & hodiedum censere, fas esse cuivis opinionem minus probabilem, vere tamen, & solide probabilem sequi, relicta tutiore probabiliore; quin reliqui Episcopi reclamaverint; quin communis omnium Pastor Rom. Pontifex ita aut sentire, aut etiam docere prohibuerit; quin & Rom. Pont., & reliqui Episcopi, & ipsemet documenti illius auctor à Sacro audiendi Confessiones munere Theologos Probabilistas arcendos judicaverint: quibus imo potius eam provinciam nihilominus quam Probabilioristis demandare consueverunt: ergo Episcopale illud edictum hac in parte non præcepti, sed consilii loco accipiendum est.

91. Porro si Episcopus, Pastoralis illius Institutionis auctor, Probabilismum in sua Diœcesi damnare, unumque Probabiliorismum tanquam regulam in praxi tutam proponere, atque

que ad istum usui tradendum districta jussione urgere animo constituisset; debuisset in omnes Probabilistas, quotquot tunc usque facultatem Sacramentum Pœnitentiæ administrandi obtinuerant, & exercuerant, suspensionis ab eo Ministerio sententiam aut pronunciare, aut saltem comminari, nisi pristinam opinationem abiicerent: ita profecto rei gravitas postularet: atqui suspensionis Ille sententiam in refractarios neque pronunciat, neque comminatur: ergo non præcipere, sed solummodo hortari cordi Episcopo fuit.

92. Insuper quum Pastoralia illa documenta, veluti præcipuum scopum, laxarum, & vitia foventium opinionum exterminationem re vera spectent; dum opiniones ab Evangelica doctrina alienas, & morum integritati noxias eliminare suis interdictionibus Episcopus vult, ejus prudentiæ, ac solicitudini magnopere applaudunt Probabilistæ; nunquam autem propterea sibi Probabilismi usu ab Episcopo interdici suspicabuntur: quippe in compertissimis habent, opiniones illas vitiorum altrices, non ex usu Probabilismi proficisci, sed ex abusu, quem & ipsi Probabilistæ detestantur.

93. Ac tandem si quis Episcopus nullo pacto Probabilismum secerni à laxismo posse, sed ex Probabilismo laxas, & animabus noxias opiniones necessaria consequutione suboriri

riri arbitraretur, ut arbitratur Gazzaniga, atque idcirco omnem Ille Probabilismi usum suis ovibus vetitum vellet, graviterque proscriberet; tum ejusmodi Episcopale Edictum, utpote falso præjudicio, & supposititio fundamento innixum, de se nutaret, in irritum abiret.

94. Episcopi ergo illiusmodi Pastoralibus documentis tantummodo opiniones laxas, perniciosas, imprudenter adsertas, tenuiter probabiles damnant; vere, ac solide probabiles, quamvis minus sint tutæ, minusque probabiles, non proscribunt, neque tutas esse inficiantur: ad tutiores autem, probabilioresque sectandas non jussionibus, aut præceptis constringunt, sed consiliis, & adhortationibus movere student, S. S. Patrum exemplum imitari, qui nonnumquam similibus, & gravioribus etiam verbis sermocinabantur, quum ad fluxarum rerum abnegationem, ad jugem eleemosynarum elargitionem, & ad opera alia, his similia, in quæ præceptum non cadere bene noverant, auditorum animos excitabant.

95. *Post medium Sæc. XVII.*, inquit Cl. Recent num. 32., *atrox bellum propter intolerabiles Probabilistarum laxitates in Probabilismum exarsit*. Exarsit utique, & non uno quidem armorum genere; sed qua rationibus, & cavillis, qua convitiis, calumniis, vexationibus illum Anti = Probabilistæ oppugnaverunt

runt laxitatis prætextu, ac si una, eademque res essent laxismus, & Probabilismus.

96. Opiniones laxæ, & noxiæ ab opinionibus benignis, sive libertati faventibus minus etiam probabilibus distingui debent, atque secerni: nulla namque, omnino nulla opinio æstimari laxa, & noxia potest eo tantum, quod benigna sit, seu libertati favens: nulla item laxa, & noxia potest haberi eo tantum, quod minus sit probabilis.

97. Nulla opinio laxa reputari potest, & noxia eo quod sit benigna: secus enim S. ipse Thom. laxa, & animarum saluti noxia tradidisse dicendus esset, quum sæpissime in moralibus quæstionibus benignam sententiam amplectatur, prout evincere possem 60. illiusmodi S. Thom. decisionum exemplis. Imo ipsimet Probabilioristæ laxa, & noxia licere faterentur, si laxa, & noxia non essent a benignis distincta, quum Illi profecto, ne in Tutiorismum prolabantur, licitum esse doceant juxta opinionem benignam operari, quando eadem probabilior est.

98. Quodsi dixerint Probabilioristæ, opinionem vel hoc ipso, quo probabilior est, desinere esse laxam, & noxiam. Esto, reponam; at quoque minus probabilis opinio vel hoc ipso, quo vere, ac solide probabilis est, esse desinit laxa, & noxia; cum vera, ac solida probabilitas opinioni laxæ convenire non

pos-

possit, prout P. Paulus Segneri in aurea sua epistola de probabilitate clare demonstrat. Præterea quamquam opinio benigna probabilior esse desinat laxa, & noxia, at non desinit esse benigna: quum ergo ob majorem eam probabilitatem non desinat esse benigna, & esse desinat laxa, & noxia, jam laxa, & noxia, atque benigna synonima non erunt, neque opinio ulla laxa, & noxia æstimari poterit eo tantum, quod benigna sit.

99. Nulla item opinio laxa, & noxia potest haberi eo tantum, quod sit minus probabilis: secus enim multa, quæ manifeste tutiora sunt, & rigidiora, veluti laxa, & noxia deberent absurdissime, & implicatorie traduci; quum multa tutiora, & rigidiora simul sint minus probabilia, prout ex ipsismet Probabiliorismi visceribus evidenter eruitur: namque illud peculiare est Probabiliorismo, unde a Tutiorismo discriminatur, quod nempe licitum esse doceat minus tutam opinionem amplecti, relicta tutiore, quum probabilior est, & hæc minus probabilis. Opinio igitur favens legi, sive tutior, atque severior minus probabilis esse potest, quin laxa, & noxia sit; ergo laxa, & noxia, atque minus probabilia synonima non sunt, neque opinio ulla laxa, & noxia haberi, aut dici potest eo tantum, quod sit minus probabilis.

100. Qui quavis tenui, vana, ex extima; & perfunctoria rationum consideratione suborta probabilitate, quæ una cadere in opinionem laxam, & perniciosam potest, contenti sunt, & licere ajunt juxta opinionem eam operari, tam longe a Probabilistarum sententia distant, quam qui maxime; quum illud Probabilistæ iterum, iterumque negent, atque ad licite operandum veram, solidam, ex prudenti, & accurata rationum consideratione pro uniuscujusque captu, profectam, opinionis probabilitatem necessariam esse, constanter, expressisque verbis adfirment. Cur igitur aliorum crimen istis intentatur? & ob alienam in opinando laxitatem, quam prudentes, & sobrii Probabilistæ nunquam admiserunt, sed imo semper reprobaverunt, adversus istos velitandum?

101. Novi hominum artes: quocumque id modo tandem fiat, debellari oportet Probabilismum, ut postea Probabiliorismus debelletur, & unus regnet Tutiorismus: quo semel imbuti imperitorum animi, quod tutius est, fieri semper debere arbitrentur; ac fieri id non posse ipso rerum usu postea deprehendentes, concludant, *Deum impossibilia præcipere*.

102. Non ego, ut apud Gazzanigam Terillus, de cujus injuria Ille in cit. num. 32. conqueritur, Jansenianos cum Probabilioristis confundo, non omnes Anti = Probabilistas Jansenianos appello: sed vero quum om-

omnes omnino Jansenianos Probabilismi osores esse, & acerrimos insectatores in compertis habeam, è re ipsorum esse Probabilismi extirpationem, non modo suspicor, sed etiam clare video, planeque sentio.

103. Bellum itaque centum, & ultra ab hinc annis, ut Cl. Recent. ajebat, adversus Probabilismum exarsit, atque una omnes Anti = Probabilistæ, quantum in cujusque animo roboris erat, atque nervorum intenderunt, ut quocumque demum pacto Probabilismum prosternerent, dissiparent. Me miserum! jam statim an. nempe 1665. *Probabilismus grave vulnus accepit, quum Alex. VII. jussionem, præceptum, mandatum dedit de Probabilismo impugnando, ac suam demum mentem a Probabilismo alienam decreto suo ostendit die 7. Sept. 1665.* Ita indubitanter adfirmat num. 35., & nota ad eumdem num. 1. Cl. Gazzaniga, cui certum scilicet fixumque est omnia, quæcumque contra nimiam opinandi licentiam aut dicta sunt, aut facta, veluti facta, & dicta adversus Probabilismum accipere, & dictitare.

104. Verum Decreti ipsius tenorem perlegamus: *Ss. D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, Christianæ Disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire.* En tibi in

ipso Constitutionis exordio à totius decreti scopo sublatum Probabilismum, quum is certe neque antiquatus tunc esset, quippe vigebat adhuc, neque noviter adinventus, quum nonaginta annos ab epoca Bartholomæi de Medina jam numeraret.

105. Causam deinde illarum opinionum, sive radicem decretum refert, *summam* videlicet *luxuriantium ingeniorum licentiam, per quam in rebus, ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, S. Sque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela*. Ut hac autem decreti periodo vulneratum Probabilismum adfirmes, opus est adjungas aliam propositionem minorem, & sic argumenteris: *In Alexandrino decreto perstringitur modus ille opinandi, alienus omnino ab Evangelica simplicitate, S. Sque Patrum doctrina, qui ex luxuriantium ingeniorum licentia irrepsit: atqui Probabilistarum sententia modum illum opinandi præsefert, qui ex luxuriantium ingeniorum licentia irrepsit, & alienus est ab Evangelica simplicitate, S. Sque P. P. doctrina: ergo Probabilismus perstringitur illo decreto*. Minorem autem eam, quam pernegant omnes Probabilistæ, neque Mercorus, neque Baro, neque Contensonius, neque Gonetus, neque Concina,

Digitized by Google

na neque Gazzaniga hucusque probaverunt, & nec æternum quidem probare poterunt: ergo quum illa minor falsa sit proculdubio, illæsum reliquit Probabilismum decretum Alexandri.

106. Postremo, ut summa, quæ justissimam Pontificis indignationem provocavit, luxuriantium ingeniorum licentia tandem compesceretur, opiniones illæ relaxativæ in trutinam vocatæ sunt, & post diligentissimam discussionem 28. propositiones illo decreto damnatæ, inter quas istam profecto non invenies; *licitum est sequi opinionem minus probabilem, ac tutam in conflictu probabilioris*. Quodsi vero hæc Probabilismi propositio luxuriantium ingeniorum fœtus, & Christianæ Disciplinæ relaxativa esset, nullius certe pensi fuisset Alexandro loco 28. propositionum proscribere 29., ergo quum illam non proscripserit, ab Evangelica simplicitate S. Sque Patrum doctrina alienam non agnovit: ergo potius confirmavit Probabilismum, quam vulneravit decreto suo.

107. *Tunc temporis*, instat, & urget eruditiss. Recent. num. 38., *multo acrior contra Probabilismum in Galliis exarsit pugna*. Acriorne? & *multo* quidem *acrior*? Si animadversum in Probabilistas ab Alex. VII. Romæ fuisset, quid acrius eis contingere potuisset in Gallia? numquid Gallorum Theologorum,

quam Pontificum Romanorum judicium magis pertimescendum?

108. Acriter tunc sane, &, ut verum fatear, æquo acerbius præsertim in Galliis dimicatum utrimque est, editis hinc inde libris absintio, atque felle suffusis, & ad dissidentium animorum simultates excitandas accommodatissimis; idque in causa fuit, ut Romæ illiusmodi libri severe prohiberentur. Neque mirum cuiquam videri potest, si (in cujus rei pervestigatione tempus terere non vacat) plures libri pro Probabilismo, quam contra Probabilismum in Roman. Congregationib. damnabantur, quandoquidem longe plures pro, quam contra prodibant: Quum autem scripta, à Probabilistis tum edita, damnata re vera fuerint, prout ex ipsis Sacrar. Congreg. decretis constat, non quia Probabilismo patrocinabantur; sed quia modum excedebant, &, ut dici solet, *pro bono pacis*, etiamsi plura fuerint, quam quæ contra Probabilismum prodierunt, & æque proscripta fuere, nihil ex illorum damnatione contra Probabilismum eruitur.

109. *Sed illuxit tandem*, ait num. 41. Cl. Prælec. Auctor, *illa exspectata dies, in qua Præsules Gallicani anno* 1700. *iterum in Comitiis congregati supremam cladem Probabilismo adtulerunt* (hic acta illius Conventus refert, de quibus postea, & concludit) *Itaque cau-*

Digitized by Google

causa finita fuit, & ex illa die Probabilismus è florentissima Galliarum Ecclesia exterminatus exulat.

110. Illa die causa finita fuit? Quid si postridie Gallus aliquis Theologus, causatus Gallicanos Præsules, prout ipsemet Recent. fatetur in nota 1. ad eumd. num., erroris immunitate non pollere, sed imo in Comitiis an. 1682. à vero, & æquo aberravisse, atque Innoc. XI., & Alex. VIII. improbationem meruisse, quid, inquam, si secum ista reputans ille Theologus apud se constituisset illorum Præsulum auctoritatem revereri; Rom. vero Pontificem, vel futurum Gen. Concil. appellare, & alterutrius præstolari decisionem?

111. Quid rursus si ab aliquo Probabiliorista, num illiusmodi appellationes licerent, Theologus quæsivisset? Profecto Probabiliorista consultus, si è numero Catholicorum fuisset, abs dubio respondisset, utramlibet licere, si vero fuisset è numero Jansenianorum, respondisset abs dubio, appellationem ad Rom. Pont. non licere, licere tamen ad futurum Gen. Conc.: ergo vel opinione etiam Anti = Probabilistarum aliqua Probabilistis rimula post illam diem aperta remanebat Jure appellationis: finita ergo causa non fuit.

112. Tria adfert Cl. Recent. in nota 1. ad cit. num. 41., quæ ipsi, Probabilismum in illo Parisiensi Conventu vere fuisse dam-

natum, vehementer persuaserunt. Primum est Galdi, seu Gualdi, vel Peguleti Theatini Probabilistæ ad bonam frugem correctio; siquidem motus illorum Præsulum auctoritate, quam adversam Probabilismo supponebat, Probabilismum, à se prius adsertum, Gualdus repudiavit, inquiens in Tract. probabilitatis cap. 33. num. 3. *Ego ob reverentiam, quam summam Illmo Cœtui Gallic. profiteor, non audeo definire, opinionem nostram in praxi licere .... nec enim concipere possum, Congregationem tantorum & numero, & dignitate, & doctrina Prælatorum potuisse errare ita, ut certò verum judicaverit certo falsum.*

113. Utrum vero hæc sincere, & ex animo à Gualdo dicta fuerint, investigare curæ non fuit Cl. Recentiori: mihi sane, quum illa Gualdi verba non solam civilem observantiam significent, verum intellectus etiam adsensionem, qua judicetur, *tot tantosque Prælatos non potuisse errare*; ironice potius à Gualdo, quam sincere dicta videntur: namque Ipse & contrarium cap. 9. num. 2. & 3. adseveraverat; & acriter ibid. num. 6. & 7. in eumdem Conventum animadverterat, & in ipso cit. cap. 33. post illam suæ observantiæ testificationem, num. 3. prolatam, num. 4. nimis irreventer, quæ modo subiiciam, contra illum Illustissimum Conventum scripsit.

114. *Nul-*

114. *Nullo autem modo possum concordare*, ait Gualdus, *Illustrissimum Clerum, dum dicit, Probabilitatem* (Probabilismum) *esse inventum postremi hujus sæculi, & initium, & caput propositionum, damnatarum ab eodem. Porro propositiones damnatæ à Pont. Alex.VII. sunt omnes damnatæ à Clero Gallic.: ergo propositiones damnatæ à Clero Gallic. juxta Pontificem partim sunt antiquatæ, & sic partim tradebantur ab antiquis. Ex hoc sequitur evidenter, vel quod Probabilitas* (Probabilismus) *sit antiqua, vel non sit initium, & caput damnatarum propositionum: quod utrumque est contra Illustrissimum Cœtum*. Qui vero adfirmat, Illustrissimum illum Cœtum & circa Probabilismi antiquitatem, & circa propositionum damnatarum initium, ac caput erravisse, clare ostendit, ironice se loquutum, quum dixit *concipere se non posse, Congregationem tantorum Prælatorum potuisse errare*. Incredibile est ergo Gualdum ob illius Cœtus auctoritatem, quem adeo petulanter irridet, Probabilismum deposuisse re vera.

115. Alterum, quod cit. in loco Sapient. Prælector allegat, est, *decretum illud, an.*1700. *contra Probabilismum Parisiis editum, Rom. Pontificis silentio adprobatum fuisse*. Fortassis ut silentium istud prætexeret, 43. è Regulis Juris in *6.* Recentior innitebatur, ubi dicitur *Qui tacet, consentire videtur*: verum conti-

nenter subsequens Regula 44. illam antecedentem exponit, aut potius corrigit his verbis: *Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*. Tacere igitur non semper est alterius dictis consentire, multoque minus illa comprobare, sed ut Dynus J. C. (*a*) ait, *est medium inter consensum, & dissensum*, indifferens de se, quemadmodum Covarruv. adnotat (*b*), ut cum consensu, vel cum dissensu conjungatur: fieri enim quam facillime potest, ut tacens justas habeat tacendi causas, vel in aliud tempus oportunius sui consensus, vel dissensus manifestationem procrastinandi. Nullam autem Rom. Pontifici fuisse causam decisorum à Gallis sive adprobationem, sive reprobationem omittendi, vel differendi, Prælectoris divinatio est.

116. *Sed biennio post* (& istud tertium nost. Theologo fundamentum est adserendi Parisiensem Probabilismi damnationem, & quidem Sum. Pont. auctoritate firmatam) *Sed biennio post Clemens XI., votis P Thyrsi Gonzalez benigne annuens, Patribus Soc. Jesu significari curavit, rem gratissimam S. Suæ facturos Superiores Soc., si præstent, ut Jesuitæ abstineant à docenda, & defendenda sententia, quæ adserit, licitum esse usum opinionis minus probabilis, & minus tutæ*. Sic Recentior

(*a*) Dynus in exposit. Reg. 44.
(*b*) Covarr. cap. 15 Variar.

tior Cl.; nullum tamen Pontificii hujus Oraculi testem, vel documentum adfert præter additionem, libello supplici P. Thyrsi Gonzalez factam, ignoto tempore, & auctore.

117. Ipsemet Sapient. Gazzaniga cum aliud contrarium, ac verum Urbani VIII. Oraculum, quod à Probabilistis in sententiæ suæ confirmationem adduci solet, sibi num. 92. objecisset, num. 98. hisce verbis respondet: *Nemo certe nobis indubiam fidem facere potest, non fuisse Pont. verba tantisper immutata, vel non probe intellecta, & ad Probabilismi confirmationem.... accommodata. Praterea fuisse quandoque vivæ vocis Oracula Pontificibus perperam afficta, nemo Eruditorum ignorat.* Hæc à se dicta, ut dicta sibi acceptet, Cl. Recentiorem oro, modò *Probabiliorismi* legat loco Probabilismi.

118. Præterea si Clem. XI. non multo post eam votorum suorum significationem, quæ circa an. 1702. Jesuitis facta dicitur, obiisset, tam incredibilis rei illius narratio non videretur: quum vero novemdecim annis Clem. supervixerit, obiit enim an. 1721., & quum illis ipsis novemdecim annis loquendi, scribendi, docendi, agendique rationem Jesuitæ non mutaverint; quis credet Præstantissimum Pontificem aut ignoravisse Jesuitarum arrogantiam, & inobedientiam per longum novemdecim annorum spatium pertinacissime durantem;

tem;

tem; aut cognitâ illâ, ea animi fortitudine caruisse, qua tantam eorum audaciam cœrceret? Estne probabilius, ac tutius Rom. Pontificem, eumque Pontificem Rom., quem Sum. Pontificatus per triduum recusatio, ejusdem difficillimis temporibus per 20. annos prudentissima administratio, Celeberrimæ Constitutionis *Unigenitus* promulgatio, doctrina, & pietas eximiæ Catholicis omnibus commendabilem, ac facile Præclarissimum effecere, veluti stolidum, & inertem hominem traducere?

119. Quin illud equidem in exploratissimis habeo, illius nempe temporis Jesuitas, quibus, illa Clem. XI. vota, si superis placuit, significata fuerunt, ut bene dicendi, scribendique arte vel in primis pollebant, minime tacuisse; sed humillime quidem, at naviter Clementi patefecisse, se non ita Probabilismum tueri, ut quacumque etiam tenui opinionis probabilitate contenti essent, sicque opinandi laxitatem, & agendi, prout S. Suæ delatum fuisse videbatur, inducerent; sed imo potius ita ut nullam opinionem usui permitterent, nisi vere, certo, ac solide probabilem; nullam, quæ alicui sive Naturalis, sive humani Juris præcepto certe adversaretur; nullam in rebus, pertinentibus ad Sacramentorum valorem; nullam, quando ex illius usu grave aliquod damnum alteri immineret; nullam,

lam, quæ cum reflexo, prudenti, certoque judicio de licito illius usu conjuncta non esset; ac denique Probabilismum, abs se adsertum, fuisse omni tempore S. S. Patribus, ac D. D. Theologis familiarem, quibus semper ad licite operandum, vera, ac solida probabilitas satis fuit, quin utrum illa major, an minor esset, quæritandum existimaverint.

120. Hæc, & ejusmodi alia Ss. Pontifici à Jesuitis Probabilistis fuisse reverenter exposita verisimillimum est, planeque credendum, nisi Jesuitæ illi omnes aut imperiti, & ineptissimi judicentur, aut Apost. Sedis procacissimi contemptores: quæ profecto vitia ab illorum Instituti, vitæque rationibus tam longe absunt, ut potius contrariæ virtutes eorumdem osoribus plurimum negotii facessant. Credendum inquam omnino est, Jesuitas, tum Probabilismi adsertores, suam coram Clemente causam pro viribus egisse; & Sapientissimum Pont., veri certiorem factum, pro sua rectitudine adnuisse, ut Illi sententiam suam, utpote nulli laxitatis inducendæ periculo obnoxiam, ac promovendæ animarum saluti maximopere accommodatam, tueri persequerentur.

121. Sed vero ut ad Gallic. Cleri Comitia sermonem revocemus, nihil contra sincerum, verumque Probabilismum in Actis fuisse decretum, tum ex ipso, quem Gallic. Præsu-

sules sibi præfixerant scopo, tum ex ipsis eorumdem sententiis non obscure multi coniiciunt.

122. Sibi Gallic. Antistites SS. Alex. VII. consilium proposuerunt, & illius Sum. Pont. verbis, quæ supra retulimus, recitatis, hæc addiderunt: *Neque vero satis fuit SS. Pontifici novam hanc methodum ludificandæ conscentiæ, & involvendæ veritatis, hoc est, ipsum mali detexisse fontem; sed exitialis doctrinæ rivulos insectatus, complures propositiones . . . . prohibuit*, atque easdem propositiones, ab Alex. damnatas, confixerunt. In eumdem igitur scopum, in quem Pastoralis Alex. sollicitudo, Gallicanor. Præsulum studia collimabant, ut scilicet *summam luxurantium ingeniorum licentiam*, laxarum opinionum, & exitialium propositionum fontem, opilarent, destruerentque. Quum ergo ille mali fons, quemadmodum Probabilistæ multis comprobant, & evincunt, non apud ipsos veri, sincerique Probabilismi sectatores; sed apud imprudentes, & laxos tenuis, ac umbratilis probabilitatis adsertores pateret, non illorum Probabilismum, sed laxismum istorum confodere Gallic. Antistites constituerunt.

123. Definiverunt autem duo. Primum. *In dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrimque se offerunt rationis momenta, sequamur id, quod tutius est, sive quod est in eo casu uni-*

Digitized by Google

unice tutum; *neque id consilii*, *sed præcepti loco habeamus*, cui rectissimæ, veræque, prout jacet, sanctioni omnes ad unum Probabilistæ subscribent; quum inter omnes constet in dubiis nemini operari licere, nisi quod tutius est: ut enim quis quod minus est tutum, licite operetur, debet juxta Probabilistas dubium deponere, non quidem circa veritatem directarum opinionum, quæ semper permanent mere probabiles, sive incertæ, vel dubiæ; sed deponere dubium debet circa licitudinem operationis, illo scilicet sæpius explicato reflexo, certoque judicio. Quodsi vero Galli aliter intellectum Probabilismum decreto suo condemnassent, condemnassent Probabilismum à se confictum, non tamen illum, quem Probabilistæ vere tuentur: *si enim hunc*, ut recte Liguorius (*a*) *prout à Probabilistis adstruitur*, *consideravissent*, *nulla ratione eum proscribere potuissent*.

124. Secundum: *Ut circa probabiles de Christiana doctrina sententias sequamur id*, *quod Vien. Oecum. Conc. circa infusas tam parvulis*, *quam adultis in Bapt. virtutes decrevit his verbis* = *Nos hanc opinionem tamquam probabiliorem*, *&* *dictis S. S.*, *ac modern. D. D. Theologiæ magis consonam* .... *&* *concordem duximus eligendam* = *quod concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere con-*

(*a*) Liguor. in Apolog. §. 3.

constat, *quo magis ex ipſis fidelium ſanctitas*, *&* *ſalus dependet*. Neque iſtud vero Probabiliſmi damnationem, ſed imo potius permiſſionem indicare dignoſces, ſi totum contextum accurate conſideres.

125. Dic, amabo, cur Sapient. Epiſcopi in poſteriori hac decreti ſui parte verba illa omiſerunt, quibus in prima parte uſi fuerant, nempe *neque id conſilii*, *ſed præcepti loco habeamus?* horum ſane verborum oblivio cunctis tam cito ſubrepere nequaquam potuit: non ergo caſu, mihi crede, ſed conſultò verba illa ſilentio prætermiſerunt; quippe probe noverant, univerſis, ac ſingulis Chriſti fidelibus poſſe quidem proponi loco conſilii, non poſſe tamen inſtar præcepti injungi, ut in ſingulis hujus vitæ actionibus eam, qua P. P. in Concilio graviſſimas cauſas exagitant, ſolertiam, & maturitatem imitentur.

126. Fortaſſis inquies, exigi quidem illius ſolertiæ, ac maturitatis imitationem a fidelibus non poſſe; at poſſe tamen ab eiſdem exigi, ut quemadmodum P. P. in Concilio non niſi juxta probabiliorem è contrariis opinionibus pronunciant, ſic ipſi in contrariarum opinionum conflictu non niſi juxta probabiliorem operentur.

127. Optime ſe res habet, neque iſtud Probabiliſtæ inficiabuntur, dummodo ea P. P. imitatio tantum conſilii causà, non autem diſtri-

cto

cto præcepto fidelibus denuntietur. Namque latum inter Episcopum gravissimas fidei, vel morum universales causas agentem, & privatum hominem, pingere v. g. in die festo meditantem, Probabilistæ discrimen agnoscunt. Episcopus, ajunt, in Concilio edicere, & Præceptor etiam in schola docere id debent, quod probabilius verum autumant, ne videlicet Ille fideles, Iste auditores deludant, quod non mere probabiliter, sed certo vetat recta ratio: quum vero nulla lex die festo pingere certo prohibeat, idcirco quamvis opinio illicitam, sive prohibitam actionem adserens, probabilior esset, posset quis tamen reflexo judicio actionem illam sibi licitam certò censere, & licite pingere die festo; melius autem facturum non negant Probabilistæ, si secus ille faceret, & loco picturæ vacaret orationi; id vero universim consuli posse, non districta jussione præscribi in compertis habent.

128. Atqui districta jussione, inquit Gazzaniga, Clerus Gallic. præscripsit, ut quivis juxta probabiliorem operetur, sicut Episcopus in Concilio juxta probabiliorem suffragium dicit; licet enim suum jubendi, & obligandi animum verbis primum adhibitis *neque id consilii, sed præcepti loco habeamus*, non exposuerit, at exposuit his aliis: *quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertin-*

Digitized by Google

tinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas, & salus dependet.

129. Resp., judicium Vien. Concilii abs dubio fuisse, in conciliaribus suffragiis ferendis præponi ab Episcopo debere probabilius minus probabili, debere autem à quovis fideli, & etiam infideli, ne peccet, in quavis actione probabilius, & tutius minus tuto, & probabili anteponi, Concilii Vien. judicium nequaquam fuisse.

130. Illud quidem Vien. Conc. judicium, quod tantummodo circa Patrum suffragia versabatur, transferri ad mores debere, ac moribus aptari Gallic. Præsules judicarunt, & quidem potiori jure, quum *ex moribus fidelium sanctitas, & salus dependeat*: atqui fidelium sanctitas, & salus non dependet ab electione inter operandum probabilioris, ac tutioris præ minus probabili, & tuto; quum satis sit ad sanctitatem (non heroicam dico) & salutem cujuscumque fidelis, si pie, sancteque vivat, &, ut dici solet, tuta conscientia operetur, quin opus sit, ut operetur tutiori conscientia, aut sanctius, atque perfectius vivat: ergo Gallic. illi Episcopi ad semper operandum juxta probabiliorem, tutioremque sententiam districto præcepto non urgebant.

131. A moribus sanctitatem, & salutem animæ pendere, est nemo, qui inficietur: à sanctioribus, perfectioribusque moribus, seu ope-

Digitized by Google

operibus probabiliori, tutiorique conſcientia peractis non pendere ſalutem, clarius eſt ſole, quum absque iis ſæpiſsime ſanctitas, & ſalus habeatur. Itaque Gallic. Præſules in illo conventu tot verborum circuitionibus integram quæſtionem reliquerunt, qua inter Catholicos Theologos diſceptabatur, ſitne ſatis ſæpiſſime ad animæ ſalutem juxta opinionem minus probabilem, ac tutam operari, an numquam illud ſatis ſit, ſed juxta opinionem vel tutiorem, vel ſaltem probabiliorem operari ſemper neceſſe ſit.

132. Præterquam quod etiamſi in illo Pariſienſi Conventu Probabiliſmus proſcriptus clare, & aperte fuiſſet, neque mirum id cuiquam videri poſſet, neque magni faciendum. Non mirum: nam illi Cœtui Card. de Noailles notiſſimus Rigoriſta præfuit, Archiepiſc. vero Remen. Mauritius de Tellier, cujus nomen Hiſtoria Conſtitut. *Unigenitus* famoſum effecit, actoris partes ardentiſſima contentione implevit. Neque item magni faciendum: etſi etenim nihil obſervantiæ, aut honoris Præclariſs. illi Cœtui detractum velim; at nequeunt tamen Gallic. Cleri Comitia, an. 1700. Pariſiis celebrata, *Concilium Nationale, & unum è frequentioribus, ac celebrioribus Gallicanæ Eccleſiæ* nuncupari, prout nuncupavit Concina (*a*) nimis ampulloſe.

 133. Am-

(*a*) Conc. in Hiſt. Probab. pag. 50. & 137.

133. Ampullosissime quidem, namque re vera Comitiis illis tantummodo interfuere Card. de Noailles Præses, quinque alii Archiep., decem Episc., & secundi Ordinis Theologi vix viginti: tertia videlicet pars Archiepiscoporum, quippe in vastissima Galliarum Ditione tunc temporis 18. erant Archiep.; Episcoporum pars undecima, namque erant in Galliis Episcopi 112.; inferioris demum ordinis Theologorum pars omnino minima, ac pene nulla, quum prætermissis reliquis utriusque Sæcularis, & Regularis status Ecclesiasticis viris, multitudine innumerabilibus, atque habita dumtaxat Parochorum ratione, istorum in Galliis 44. millia numerarentur.

134. Quamquam igitur ille Gallic. Cleri Conventus diris Probabilismum devovisset, neque mirum id, neque momenti valde magni videri cuiquam deberet. Quos vero fructus morum doctrina, quæ sive intra, sive extra Cœtum illum apud Gallos vigebat, tandem aliquando pepererit, quantam Divini, humanique Juris subversionem erumpere permiserit, horrent, ut in Præfatione dixi, boni omnes Ecclesiæ filii, luget pia Mater.

135. At non modo tunc Probabilismus, teste Gazzaniga, è florentissima Galliarum Ecclesia extorris abiit, verum etiam *in aliis Orbis Catholici partibus à bene multis Ecclesiarum Pastoribus eliminatus est*. Ita Ille asserit

num.

num. 42., adsertumque in nota 2. ad eumd. num. confirmat auctoritate Patutii, ad cujus litteras Prælector remittit lectorem.

136. Noster hoc in loco Recentior libellum supplicem indigitat, qui nomine innominatorum quorumdam Hispanorum, & Belgarum Præsulum porrectus contra Probabilismum Clementi XI. dicebatur. Ast, ut ille, sic ego paucis me expedio, & dico, libellum anonymum, aut numquam Pontifici fuisse porrectum, aut lectum, nihil amplius à Pontifice obtinuisse: & pariter lectorem ad responsa Filimberti Balla, qui Patutii litteras strenue confutavit, amando.

137. Quidni vero Belgæ, Hispani, Galli, & reliquæ etiam omnes Orbis Catholici Nationes adversus Probabilismum conspirarent, quem iterum iterumque Rom. Pontifices sauciavere? Sauciavit illum autem Alex. VII., quum die 7. Sept. 1665. hanc ordine 27. prop. proscripsit: *Si liber sit alicujus junioris, vel moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apost. tamquam improbabilem*. Sauciavit Innoc. XI., quum die 2. Mart. 1679. quatuor propositiones, ad Probabilismum spectantes proscidit. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori*. 2. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus pro-*

 ba-

babilem. 3. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 4. *Ab infidelitate excusabitur Infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili*. Sic cit. num. 42. Cl. Gazzaniga.

138. Quod 27. propositionem, ab Alex. VII. damnatam spectat, jam supra num. 15. 16. 38. 56. 83. probabilismum satis superque vindicavimus. Ad quatuor igitur alias propositiones ab Innoc. XI. proscriptas quod adtinet, eas omnes à laxismo quidem, non autem à vero, sincero, ac sobrio Probabilismo fuisse excerptas, Theologus, qui Recentiori nostro omni exceptione major esse debet, evincit, Archi = Probabiliorista Thyrsus.

139. Is in Introduct. ad Dissertat. de recto usu opinionum probabilium ait: *Jam ante annum illum, in quo Innoc. decretum suum promulgavit, quatuor illas propositiones cum reliquis, in decreto proscriptis, à Theologis Soc. Jesu fuisse rejectas, & quidem non ab uno, vel altero, sed primam à* 64., *secundam à* 40., *tertiam à præcipuis defensoribus sententiæ benignæ de usu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ, præsertim à P. Esparza, & P. Terillo; quartam à* 34., *quorum omnium, & singulorum nomina, & expressa testimonia P. Joan. Pollenter Soc. Jesu*

Theo-

Theologus adfert in eruditiſſimo Opere, quod inſcripſit, 65. propoſitiones nuper à Ss. D. N. Inn. XI. proſcriptæ, à Soc. Jeſu Theologis diu ante SS. Dñi decretum communiſſimo conſenſu rejectæ: Hæc à Tyrſo.

140. Apud Pollenterium vero in cit. operis præfat. leges, ſe non tot, quot complecti poterat, Soc. Jeſu Theologos ſuo illo in opere fuiſſe complexum; omnium autem, ac ſingulorum, quos magno numero recenſet, teſtimonia non ex aliis Auctoribus, ſed, ut dici ſolet, e fontibus excerpſiſſe. Illos vero Jeſuitas, qui propoſitiones, antequam ab Innoc. XI. proſcriberentur, profligaverant, ſaltem majori ex parte, imo pleroſque omnes fuiſſe Probabiliſtas, haudquaquam, ut opinor, in dubium Prælector revocabit.

141. Probabiliſmum igitur ſincerum, temperatum, à laxiſmo diſtinctum, atque omnis laxitatis expertem, qualis à pleriſque Jeſuitis traditus ſemper fuit, Innoc. XI. ne leviter quidem perſtrinxit decreto ſuo; quin imo potius confirmavit; quum in utroque Jure, & Civ. (*a*), & Can. (*b*) *Exceptio firmet regulam in contrarium*. Vide Joseph. Mar. Gravinam in opere, cui tit. *Trattenimenti apolog. sul Probabiliſmo* (*c*).

 142. Ne-

(*a*) *L. Nam quod* §. *Si cui* ff. de Sup. leg.
(*b*) C. *Quoniam* de Conjug. lepr.
(*c*) Gravina par. 1, dial. 36. à pag. 391. ad 398.

142. Neque aliquid negotii tibi facessat; quod in cit. nota 2. Cl. Recent. adjungit: *A Patutio plurium Scriptorum, Episcoporum, Ipsorumque Rom. Pontificum in Probabilismo explodendo consensum exponi*: quippe ad Patutiana omnia machinamenta dissipanda, & ea, quæ hactenus dixi, satis abunde sunt, &, quod modo subnectam, recens documentum maximopere conducit.

143. Anno 1760. Sac. Rom. Gen. Inquis. Congr. coram Ss. Clem. XIII. celebrata, folium undecim thesium, hanc controversiam spectantium, à Parocho Avisien. in Trid. Diœcesi editum, cujus mentionem num. 49. fecimus, damnavit *tamquam continentia* (folium, & theses) *propositiones, quarum aliquæ sunt respective falsæ, temerariæ, & piarum aurium offensivæ*. Hujus decreti occasine R. quidam Lector, Prælectori nostro familiaris, ac necessarius, sub mentito nomine Adelphi Dosithæi Illmo, & Doctiss. D. Alphonso Liguorio Episc. Santi-Agatensi Probabilismum, ab ipso adoptatum, veluti falsum, temerarium, erroris plenum, damnatumque cit. decreto Clem. exprobravit.

144. Ad hæc laudatus Episc. suæ doctrinæ Apologiam lectu, scituque dignissimam, Lectoris Dosithæi criminationibus opposuit, & illam damnationis Probabilismi animadversionem tum ratione è visceribus causæ eruta, om-

omnino refellit, tum etiam Reverendissimi P. Thomæ Richini Mag. Sac. Pal., Reverendissimi P. Pii Thomæ Schiara Sac. Congr. Indic. Secret., & Emin. Card. Galli Canon. Regul. Ss. Salvatoris, & Mai. Pœnit., quæ omni exceptione major censeri debet, decretoria testificatione.

145. Ii enim datis ad laudatum Episc. responsis isthæc adseverant: Rmus Richinius, Primam è undecim thesibus, Probabilismum continentem, *non fuisse damnatam illo decreto*: Rmus Schiara *dici non posse illa folii damnatione prohibitum Probabilismum esse, aut qua ille æque probabilem, aut qua minus probabilem, libertati faventem, anteferre operando permittit: istud Romæ esse commune, certumque judicium; neque credere se, Romæ Probabilistas ob damnationem illam à sententia sua desistere*. Emin. autem Galli *In prædicti folii damnatione initum consilium non fuisse damnandi ullam è propositionibus, quæ in Cathol. Scholis controvertuntur, & à Cathol. D. D. defenduntur*.

146. Et sane neque Clem. XIII. ab æquissimis Prædecess. suorum placitis unquam descivit; neque Sac. Rom. Gen. Inquis. Congregatio illius Pont. sensibus se unquam opposuit; neque allegati oculatissimi Testes Sac. Congreg. mentem ignoraverunt: quum igitur ne tum quidem initum Romæ consilium fue-

Digitized by Google

rit Probabilismum explodendi, numquam retroactis sæculis Probabilismum Rom. Pontifices exploserunt.

147. Reliquum est, ut nonnulla alia *recentiora documenta*, quæ in cit. nota 2. noster Theol. adnexuit, perpendamus, & nostra etiam alia *recentiora documenta* adnotemus. Duas in primis Epistolas Pastorales Ille laudat, alteram Sapientiss. Quinque = Ecclesiens. Episc., alteram Celsiss. Episc. Passaviens., illam anno 1762., istam anno 1764. datam.

148. Laudat secundo loco, tametsi documentum sit aliquanto vetustius, quamdam Card. Bellarmini sententiam, dicentis in admonitione ad Episc. Theanens. Nepotem suum: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare .... is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minus tutam partem declinare: agitur enim de summa rei, quum de salute æterna tractatur.*

149. Laudat denique *solemne decretum in postremo Gen. Capitulo, Mantuæ celebrato anno* 1762. *à P. P. Seraph. Ordin. Minor. S. Francisci, conditum sess.* 15., *ut Omnes doctrinas tutiores, et probabiliores* (non satis est alterutrum? utrumquene requiritur?) *semper doceant*,

ant, *& ampleƈantur* : & decreto adjungit *præceptum*, *quo ſaluberrimi illius decreti exaƈiſſimam obedientiam* . . . *anno* 1763. *Rmus P. Minis. Gen. Joannetius de Molina in virtute Stæ. obedientiæ*, *& ſub graviſſimis pœnis omnibus imperavit*.

150. Quod primum speƈat, Præstantiss. illos Præsules majori, qua possum, animi mei observantia prosequor; utrumque ex ardenti, quo, uti reor, exæstuabant salutis animarum amore, & purioris doƈrinæ studio præscripsisse, quæcumque præscripserunt, non dubito: neutrum tamen gravate laturum spero, si cum B. Alber. Mag., cum S. Tho., cum S. Bonav., cum S. Antonino, cum Pientissimo P. Paulo Segneri, cum omnibus Probabilistis judicaverim, puriorem, & animabus salubriorem doƈrinam non tam è Probiliorismo, quam è Probabilismo esse petendam.

151. Fortassis Præleƈor Sapientiss. P. Paulo Segneri, si quando ejus scripta in Sac. Rituum Congr. examinarentur, triste aliquid propter ea futurum pertimesceret: mox tamen curam istam prorsus abiiciet. Interea vero parem sortem potuisset Præleƈor minitari V. S. D. Ord. S. Dominici, Francisco nempe Possadas, qui in Processu ejus Beatif. & Canon. (*a*) dicitur in rebus dubiis, morum doƈrinam speƈantibus,

(*a*) Process. pag. 238. §. 151.

bus, non sui Ordinis Probabilioristas, sed Soc. Probabilistas consulere consuevisse.

152. Juvat ipsa verba proferre, prout in Processu referuntur: Testis igitur Sacerdos, & Dominicanus, &, ni fallor, Confessarius V. S. D. sup. art. 62. dixit: *Che il Servo di Dio molte volte frequentava il Collegio della Compagnia di Gesù di questa Città* (Cordova) *à consultare i suoi dubbj: e udì il Testimonio dal Servo di Dio queste parole: Pare che ciò dia da dire: ma io cerco ciò, che ho di mestieri, e vo, dove lo trovo: tutti insegnano camminare ad un medesimo fine: questo è certo, dicasi ciò che si vuole, molto ha servito alla Chiesa di Dio questa Religione, e gli serve.*

153. Ad num. quod adtinet, dico 1. Bellarmini textum, prout in nota à Prælectore describitur, tam Probabilioristas impetere, quam Probabilistas: & Probo: *Si rei certitudo*, inquit Bellarm., *non possit ad liquidum apparere, debet quis tutiorem partem sequi, & nulla ratione ad minus tutam declinare*: si ergo nulla ratione potest ad minus tutam declinare, declinare non poterit ad minus tutam etiam probabiliorem: ergo quod proprium, & peculiare Probabilioristarum est, reprobat Bellarminus.

154. Dico 2., textum Bellarmini malo dolo mutilatum referri, & non uno quidem

sed

sed iterato vulnere, namque non unum illi tantum, sed tria sunt membra rescissa. Abscissa est prima periodi vocula *Quare*, ne dicendorum cum præmissis connexio promeretur, verusque sententiæ sensus ex contextu haberetur. Abscissa item fuere hæc verba *& simul oporteat eum Episcopali officio fungi*, ut scilicet doctrina illic tradita non solis Episcopis commendari, sed ad cunctos Christi fideles extendi crederetur. Abscissa sunt hæc alia *de novem controversiis*, ut videretur Bellarminus præter probabilitatem, certitudinem requirere in propositionibus, seu opinionibus directis, nedum quum de novem controversiis agitur, puta de Jure Patronatus, de Sacramentorum valore; sed in omnibus etiam reliquis quæst. Theologiæ Moralis, puta de obligatione confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, non pingendi in die festo, non bibendi potionem Indicam in diebus Quadragesimæ, aliisque similibus. Vide Richelmum (*a*).

155. Dico 3. illâ Bellarmini sententiâ Probabilismum non debilitari, sed imo promoveri: & probo 1. quum res certo non constat, tutiorem partem sequi omnino debet Episcopus, quocum, & de quo dumtaxat in admonitione sermo fit: ergo reliqui, qui Episcopi non sunt, neque Judicis Ordinarii officio

(*a*) Franc. Richelmi Saggio di avvertimenti sopra l'Opera del P. Concina pag. 230. & seqq.

ficio funguntur, uti Episcopus fungitur, ad tutiorem sequendam non coarctantur, sed sectari poterunt minus tutam solide probabilem. 2. quum certitudo non habetur, debet quis tutiorem partem amplecti *in novem controversiis*: ergo in reliquis præter illas novem amplecti poterit minus tutam, dummodo sit vere probabilis. 3. quando rei veritas certo non constat, quod tutius est, præferri debet: ergo è contrario, quando rei veritas certò constat, amplecti licebit, quod minus tutum est: ergo quamvis sistendo in quæstione directa de licitudine actionis, partem minus tutam sequi non liceat, quia nondum certitudo habetur; licebit proculdubio, quum judicium reflexum certum efformatur, tunc enim certo jam constat operanti actionis licitudo, quæ Probabilistarum, & Bellarmini sententia est.

156. Ad ultimum resp. P. P. Minores Mantuæ congregatos, eorumque Gen. Ministrum a Majoribus quidem suis, à se ipsis descivisse, atque doctrinam, qua imbuti fere omnes fuerant, ultimis hisce temporibus repudiasse: quia nempe fore judicarunt, ut Probabilismi in foro externo reprobatio, dirisque devotio magis Ipsis expediret. Decretum itaque Capituli Gen. Mantuæ an. 1762. conditum est, Rm̃i Min. Gen. Joannezii præceptum an. 1763. promulgatum.

157. Sed

157. Sed tamen anno 1766., quum in Sac. Rituum Congreg. Causa Beatif., & Canon. V. S. D. Theophili a Curte Ord. S. Francisci ageretur, in responsione ad ultimam animadversionem, qua V. Dei S. adoptati à se Probabilismi arguebatur, hæc Postulatores exposuerunt: *Ut ut Probabilistarum systema nostris hisce diebus acrius impetitum sit à Probabilioristis, & validius oppugnatum, adhuc tamen à loco suo motum non est, illud defendentibus Theologis & numero, & auctoritate præstantibus, imo silente, Ecclesia, suumque infallibile judicium super hoc Theologorum certamine non proferente, ita ut circumstantiis hujusmodi sedulo perpensis nefas esse videatur privatis hominibus victoriæ præmium Probabilioristis cedere, Deique famulum aliquem, ex quo Probabilista fuerit, laxitatis in Morali Disciplina crimine arroganter condemnare.*

158. *Adcedit, quod V. noster Theophilus mortem obiit die* 19. *Maii* 1740., *& quod multo ante mortem tempore hanc opinionum probabilium, de qua sermo est, seriem contexuit ad sui usum.... Nemo porro est, qui ignoret, ante an.* 1740. *probabilisticam pugnam vix fuisse exortam, toto autem antecedente tempore Probabilismum ipsum alta pace fuisse gavisum, quapropter eidem Probabilismo adhæserunt, sicuti nunc quoque adhærent, omnes fere Franciscani Ordinis Scriptores, demptis duobus,*

quos

Digitized by Google

quos sciamus, de Laurea, & Henno, cæteri enim omnes Probabilistas se produnt in Operibus publicæ luci donatis, sic Rodriguez uterque, Portellus, Pontius, Mastrius, Anaclet., Felix Potestas, Sporerius, & novissime Pitanophilus, Elbel, & Lucius Ferrarius.

159. *Quæ quum ita sint, nullus quidem, ut arbitramur, accusare jure poterit V. Theophilum, si sequutus sui Ordinis Scriptores tempore, quo præsens pugna non erat, usum admiserit ex Diana benignarum opinionum, quæ probabiles erant, & sunt, circumscriptum tamen, cautum, & à Christiana prudentia directum.*

160. Causam autem Postulatores vicerunt, & *ad ulteriora procedi* decretum est: unde curam omnem, qua, si P. Pauli Segneri causa foret introducta, Cl. Recent. fortassis angeretur, potest abiicere: & egò historicæ Probabilismi synopsi finem imponere, quum concinne exarata Postulatorum allegatio illius quasi Epilogum exhibuerit.

* * * * * *
* * * *

CAP.

§. II.

Probabilismi firmamenta.

161. **P**Robatur 1. Probabiliſtarum ſententia ex Div. Litteris: Eccleſiaſticus ait (*a*) *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*; id eſt juxta Ravan., & Cornel. Janſen. Epiſc. Gandaven. apud A Lapide (*b*) *Conſilium rectum, & Judicium practicum prudentiæ, ſive prudens*. Item Apoſt. ad Rom. ſcribit (*c*) *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ubi *fides*, prout ex contextu apparet, & P. P. Cryſoſt., Theodoret., Ambros., Theophilac., Œcumen. explicant apud eumdem A Lapide (*d*) *eſt dictamen conſcientiæ, ſive perſuaſio, & credulitas, qua.... credis te hic... non male, ſed recte agere... quod enim non eſt ſecundum hanc credulitatem, id eſt, quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt.*

162. Ex una igitur parte ut quis licite operetur, ſive non peccet operando, operari debet ductus prudenti, certoque judicio; quod quidem judicium, quamvis ſit prudens, eſ-

(*a*) Eccl. cap. 37.
(*b*) A Lapide in Eccles. cap. 37.
(*c*) Apoſt. ad Rom. cap. 14.
(*d*) A Lapide in cap. 14. Epiſt. ad Rom.

esse falsum potest, & concipi, ut non raro contigit, ex invincibili ignorantia præcepti, opus prohibentis; non autem ex vincibili, quippe ignorantia ista, quum vinci possit, & non vincatur, imprudenter, seu culpabili negligentia fovetur, ac proinde judicium parere nequit nisi imprudens. Ex una, inquam, parte, ut quis licite operetur, prudenter certò judicare debet, licere sibi operationèm; etenim qui opus aliquod exequi absque peccato posse non certo censeret, & tamen exequeretur, illud exequeretur incertus, cum peccandi formidine, dubitanter, sicque, quum ultro se exponeret peccandi periculo, certissime peccaret.

163. Ex parte alia quisquis prudenter certo existimat, se licite operari, licite operatur, quum ex *stabili*, certove *consilio*, *&* *fide*, seu *conscientiæ dictamine*, *quo se non male*, *sed recte agere judicat*, operetur; neque aliud ab Eccles. & ab Apost. juxta communem expositionem requiratur: atqui potest quis ex prudenti, certoque judicio, quo se non male, sed recte agere censeat, juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam operari: ergo juxta eam operari licite potest.

164. Probatur min., in qua præsentis quæst. difficultas sita tota est: si ex illo prudenti certoque judicio operari quis non posset,

set, eo non posset, quod minor opinionis directæ probabilitas illi prudenti, certòque judicio locum non relinqueret, prout adversarii opinantur: atqui falsum hoc: ergo posset. Probat. min.: ideo opinio directa minus probabilis, & minus tuta illi prudenti certoque judicio locum non daret, quia ipsa neque prudens est, neque certa: atqui 1.um est falsum, & 2.um soli certo directo judicio obstat, non autem reflexo: ergo minor opinionis directæ probabilitas prudenti, certoque reflexo judicio locum dare potest.

165. Probat. 1.a hujus min. pars: etiamsi opinio, licitam actionem affirmans, sit minus probabilis, est tamen vel in ipso contrariæ opinionis conflictu solide probabilis, tamque gravibus rationum momentis innixa, ut non modo Theologi, qui eam tuentur, prudentissime tueantur; verum vel ipsi etiam, qui contra sentiunt, eamque falsam esse probabiliter existimant, imprudentem, seu gravi fundamento destitutam appellare non nisi injuriâ possint, neque suam certam esse contendant, sed tantum probabiliorem: ergo prudens quum sit illa minus probabilis opinio, prudenti reflexo judicio locum relinquit.

166. Probat. pars 2.a, nimirum incertitudine opinionis directæ minus probabilis certitudinem judicii reflexi non impediri: incerta quoque est, & cum falsi formidine conjuncta

opinio directa probabilior; si enim certa esset, & formidinis expers, jam non opinio probabilior; sed certa rei notitia dici deberet, & contraria non minus probabilis, sed plane improbabilis, ac certo falsa judicari: atqui licet opinio probabilior incerta sit, & falsi formidini obnoxia, locum dat tamen juxta adversarios certissimo reflexo judicio, quo quis licite se juxta opinionem probabiliorem operari posse arbitretur: ergo quamvis opinio minus probabilis incerta sit, certo judicio locum dat, quo quis licite se juxta opinionem minus probabilem operari posse certissime sibi persuadeat.

167. Rem explico, & causam allucinationis, qua plurimi adversariorum laborant, removeo. Quandocumque ultimum practicum conscientiæ dictamen ex propositione mere probabili, etiam probabiliori, & non certa deducitur, certum illud non est, neque ad licite operandum sufficiens; sed tantum est probabile, vel probabilius, ac illius propositionis, ex qua infertur, conditioni simillimum, cum prudenti falsi formidine conjunctum, & plane insufficiens ad licite operandum: ex. gr. Si quis in hunc, vel similem modum secum ratiocinetur = actio non servilis licita est in die festo: atqui pingere actio est non servilis: ergo pingere in die festo licitum

Digitized by Google

citum est = is profecto, hoc solo judicio ductus, pingere in die festo licite non posset.

168. Quamvis enim propositio major sit certa, minor, prop., ut in præsenti quæst. supponitur, certa non est; sed mere probabilis, aut si malueris, probabilior: unde quum juxta Dialecticorum dogma *conclusio debiliorem partem sequatur*, probabilitatis limites conclusio non prætergredietur; sed erit hæc minus probabilis, quam contradictoria sua, si propositio minor sit minus probabilis; eritque probabilior, si minor propositio probabilior sit: quamobrem qui eo dictamine ductus, operaretur, licite non operaretur, quippe ex conscientiæ dictamine ageret non *stabili*, aut certo, sed probabili, vel probabiliori, cum prudenti majori, vel minori errandi formidine conjuncto, sub quo operans periculo peccandi se exponeret, sicque certo peccaret.

169. Aliter igitur efformandum esse judicium reflexum, sive ultimum conscientiæ dictamen Probabilistæ docent, scilicet illud deducendo ex principiis, quorum neutrum mere probabile sit, aut mere probabilius, sed utrumque moraliter certum, in hunc, vel similem modum = Quod viri prudentes, & gravia rationum momenta suadent lege non prohiberi, sed licitum esse, prudenter judico esse licitum: atqui pingere in die festo actionem servilem, atque lege prohibitam non esse, sed

esse plane liberalem, ac licitam, viri prudentes, & gravia rationum momenta suadent: ergo prudenter judico pingere in die festo licitum esse: quod autem prudenter judico esse licitum, opere complere licite possum; *impoſsibile enim est*, teste Philosopho (*a*) *prudentem aliquem esse, quin bonus sit*: ergo licite pingere possum in die festo = In qua ratiocinatione non solum major, verum minor etiam propositio certa est, non enim affirmat pingere in die festo esse licitum, quod non nisi probabile dici posset; sed affirmat affirmari illud à Viris prudentibus, gravibusque rationum momentis suaderi, & id sane extra omne dubium est, planeque certissimum.

170. Et *quamvis sint multi*, ait perquam optime Suar. (*b*), qui *nesciant explicare hanc certitudinem* (seu reflexum practicum, certumque judicium) *per sua principia, nec reducere illam ad syllogisticam formam, tamen vix potest aliquis reperiri, qui ratione utatur, & tamen de suis actionibus nesciat judicare absque hæsitatione, & formidine, se bene, & secure operari, quando juxta cognitionem, quam assequitur, bona fide operatur, quod honestum videtur, & qui hoc judicium ferre non potest, merito dici potest non operari ex perfecta humana deliberatione*.

171. Pro-

(*a*) Aristot. 3. Ethic. cap. 14.
(*b*) Suar. in 1. 2. Tract. 3. disp. 12. sec. 3. nu. 3.

171. Probatur 2. Probabilistarum sententia auctoritate S. S. Patrum : S. Cyprian. inquit apud S. August. (*a*) : *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus , frater charissime , nemini præscribentes , aut præjudicantes , quominus unusquisque Episcoporum , quod putat , faciat , habens arbitrii sui liberam potestatem* . Juxta Cyprian. ergo , quamdiu lex nondum inter omnes constat , sed de illa utrimque validis rationum momentis disceptatur , quisque potest , quod putat , facere , ad unam è contradictoriis sententiis etiam probabiliorem (non enim istam Cyprian. excepit) opere complendam non cogitur , sed habet arbitrii sui liberam potestatem .

172. S. Hieronym. (*b*) : *Ego* , inquit , *de magnis statuere non audeo , nisi ingenue confiteri , me Majorum Scripta legere , & in commentariis secundum omnium consuetudinem varias ponere explanationes , ut è multis sequatur unusquisque , quod velit . Quod quidem te , puto , & in Sæculari litteratura , & in Div. litteris legisse , & probasse* . Quo circa opportune Gualdus (*c*): *Quia vero hic textus Hieronymi loquitur de Commentariis , quæ edidit sup. Sacr. Scripturam , & Scriptura tractat tum de rebus speculativis , tum practicis , ideo hæc*

(*a*) S. August. lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 17.
(*b*) Hieron. epist. 74. ad Aug.
(*c*) Guald. tract. de probabil. cap. 27.

libertas eligendi opinionem è multis, nobis concessa, est intelligenda tum de speculativis, tum de practicis.

173. S. August. multus est quidem, atque perspicuus hac in re: contra Faust. scribens (*a*) ait: *Vir justus, si forte sub Rege, homine etiam sacrilego, militet, recte potest, illo jubente, bellare, civicæ pacis ordinem servans, cui, quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est*: ergo satis est non esse certum actionem prohiberi, ut recte, seu licite poni possit: atqui certum non est actionem prohiberi, quum tantummodo est probabilius: ergo quum solum probabilius est actionem prohiberi, recte illa nihilominus, sive licite juxta August. poni potest.

174. Idem S. Aug. (*b*) ad propositam hanc quæstionem, *Utrum liceat Sabbato jejunare?* Casulano respondet: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Div., mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt. Si vero neque ista certa sunt, sed de his quoque disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis, quum certa documenta nulla veritatis insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentio-* nis

(*a*) Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 75.
(*b*) Idem in Epist. 86. ad Casulan.

nis serenitatem charitatis obnubilet: *tum igitur* (quum moribus, atque sententiis D. D. dissident) *quoniam non invenimus . . . certis diebus aliquibus evidenter præceptum, observanda esse jejunia . . . si consilio meo . . . acquiescis, Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse* (sive probabilius tibi videatur, sive minus probabile) *sine ullo scrupulo, aut disceptatione sectare*.

175. Idem S. Doct. ad Januar. scribens, multa conglobat super hac re (*a*). In primis duo hæc veluti indubitata principia constituit: primum: *Primo itaque tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dñum Nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evang. loquitur, leni jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi*: at obligationem semper operandi juxta opinionem probabiliorem fore gravissimam, ac pene intolerabilem, postea demonstrabitur. Alterum: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum*: atqui quum ex utraque parte adest solida probabilitas, & ex neutra prohibitionis certitudo, rem esse prohibitam non convincitur, utriusque enim partis D. D. argumentis sibi contrariis probabiliter satisfaciunt: ergo tum res juxta S. Aug. indifferenter est habenda, & liber manet homo ad operandum, prout libuerit, absque peccato.

F 4 176. Dein-

(*a*) Idem Epist. 118. ad Januar.

176. Deinde in alios contra sentientes ibidem invehitur, & inquit: *Sensi sæpe dolens, & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, & superstitiosam timiditatem; qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire, tamen quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis ... tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.*

177. Præterea ad quæst. hanc, quæ tunc temporis nondum decisa erat, videlicet = Utrum Corpus Dominic. semper à jejuno suscipi deberet; an vero non ita, sed in die, qua Dominicæ Cœnæ memoria celebratur, suscipi illud posset post alios cibos? respondens S. Doct. ibid., duas super re contrarias sententias primum refert, alteram probabiliorem, & suam, alteram aliorum, sibi minus probabilem, at probabilem tamen.

178. Primam ita proponit: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominic. Corpus intraret, quam exteri cibi, nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Secundam his verbis: *Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cæ-*

Cœnam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem (quippe quando primum Christi Discipuli Eucharistiam susceperunt, non jejuni susceperunt) *post cibos offerri, & suscipi liceat Corpus, & Sanguinem Domini.*

179. Ac demum neminem ad probabiliorem sive opinionem, sive praxim urget, neque majoris probabilitatis rationem admonet esse necessario habendam; sed imo potius minus probabilem sequi permittit, quamvis ad probabiliorem sequendam adhortetur: ait namque: *honestius arbitror eâ horâ fieri, ut qui etiam jejunaverit post refectionem, quæ horâ nona* (pomeridiana) *fit, ad oblationem* (postridie) *possit occurrere. Quapropter neminem cogimus Dominicâ illâ cœnâ prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.*

180. Ex tota hac præclarissima S. Augustini sententia noster Theologus num. 109. ultima tantummodo verba sibi obiicit, nempe *neminem cogimus ante Dominic. illam Cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus*; reliqua vero, quibus diversæ, atque contrariæ hominum opiniones, & consuetudines referuntur, silentio prætermittit.

181. Num. autem seq. 110., nihil aliud considerans præter paucula illa verba, quæ ab aliis sejuncta, sibi objecerat, respondet: *S. Augustinus loquitur de more, qui olim in-*

va-

valuerat, ut fideles feria V. in Cœna Domini ad Sacr. Synaxim poſt comeſtionem accederent, quod Sacr. Canonib. permiſſum erat. Hac de re interrogatus S. Auguſtinus, reſpondit, ſervandam eſſe locorum conſuetudinem, quia ſcilicet (nota bene) *tutum omnino erat tam ante, quam poſt Cœnam in illa die Eucharistiam ſumere*. Proh veri qualis, & quanta vis! quæ confeſſionem exprimit, vel à nolente.

182. Per te, Cl. Gazzaniga, tempore S.Auguſt., quum nondum per Sacr. Canon. res deciſa eſſet, *tutum omnino erat tam ante, quam poſt Cœnam in illa die Eucharistiam ſumere:* atqui per S. Auguſt. res tunc temporis controvertebatur, & alii *in honorem tanti Sacramenti* ad Synaxis ſuſceptionem jejunium exigebant, ne excepta quidem illa feria V., cujus exceptio nullibi conſtabat; alii vero *probabili quadam ratione*, nempe *ad inſigniorem commemorationem* primæ iſtitutionis, licere ajebant in illa feria V. *Eucharistiam ſumere poſt alios cibos*: ergo tempore S. Auguſt., quum res hinc inde probabilibus argumentis controvertebatur, neque diſſidium ab Eccleſia clare dirimebatur, omnino tutum erat utramlibet è contrariis illis, vere tunc probabilibus, opinionem ſectari, qui purus putus eſt Probabiliſmus.

183. Poſtremo Idem S. Auguſt., ad Publi-

blicol. scribens (*a*) aliam hanc quæst. proponit: num liceret Christiano viatori corpus cibis, in idolio inventis, reficere? & respondet hoc pacto: *aut certum est esse idolothytum* (sic vocabatur cibus Idolo consecratus) *aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius Christiana virtute respuitur. Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur*: atqui quum duæ contradictoriæ opiniones, sive æque, sive non æque probabiles, occurrunt, tunc rei veritas ignoratur; nescitur enim quænam earum reapse vera sit: ergo, S. August. auctore, *sine ullo conscientiæ scrupulo* potest quis juxta utramlibet operari.

184. Jam vero S. Anselm. (*b*) sic scribit: *Memento quo pacto incepi tuæ respondere quæstioni, ut videlicet si quid dixero, quod major non confirmet auctoritas, quamvis ratione probare videar, non alia certitudine accipiatur.... Certus enim sum, si quid dico, quod Sac. Scripturæ abs dubio contradicat, quia falsum est, nec illud tenere volo, si cognovero. Sed in illis rebus, de quibus diversa sentiri possunt sine periculo, sicut est illud, unde nunc agimus... Si inquam in hujusmodi rebus sic exponimus Divina dicta, ut diversis sententiis favere videantur; nec alicubi invenitur, ubi quid indubitanter*

(*a*) S. Aug. Epist. ad Public. 153.
(*b*) S. Anscl. in lib. *Cur Deus homo* cap. 18.

ter tenendum sit determinent, non arbitror reprehendi debere: ergo juxta S. Anselmum solummodo veritas *absque dubio*, *indubitanter*, vel certo nota opinandi libertatem adimit: ergo similiter tantummodo lex *abs dubio*, *indubitanter*, vel certo actionem prohibens, libertatem adimit operandi.

185. Tandem S. Bernard. (*a*) : *Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundet, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat*: quum autem, quod sentitur, & fit, obviat probabiliori sententiæ, non obviat rationi certæ, neque auctoritati, cui contradicere nefas sit.

186. Hæc, & alia quamplurima apud Cardenas, Terillum, aliosque Probabilistas passim reperies S. S. Patrum documenta, quæ sane tanto Illi studio, ac sedulitate nequaquam undique conquisivissent, si Patrum, & D. D. Ecclesiæ auctoritatem maximi non fecissent. Et tamen Gazzaniga in edit. Bonon. in nota ad num. 27. dicere non dubitavit: *Notum est autem aliunde, nomine* VIRI MAGNI *apud Probilistas non venire S. S. Patres, aut Ecclesiæ D. D., sed nuperos quosque Theologos Moralistas, ut Sanchez, Busembaum &c.* quod quidem proferri ea universalitate non posse nisi falso, & contumeliose, nemo non videt.

187. Probatur 3. Probabilistarum sententia

Summ.

(*a*) S. Bern. in tract. de Bapt. cap. 5.

Digitized by Google

Summ. Pontificum auctoritate, & praxi: Rom. Pontifices aliquorum D. D. Opera, & in primis S. Thomæ, & S. Bonav. tamquam continentia sanam doctrinam, Catholicæ fidei, bonisque moribus consentaneam, sæpissime commendarunt: atqui in illis Operibus plurimæ opiniones particulares proferuntur, ut nemo nescit, quibus prædicti S. S. Doctores dissident, & quarum aliæ aliis minus tutæ sunt, utpote libertati faventes, minusque probabiles: ergo & istæ Summ. Pontificum judicio à recta fidei, morumque regula non deflectunt: ergo juxta quamlibet earum operari quis licite poterit.

188. Præterea non obstante tutiore, ac probabiliore sententia, qua asseritur, neminem, ne Rom. quidem Pont. auctoritate, voto solemni castitatis solvi posse, cui Alber. Mag., Altisiodor., S. Thom., S. Bonav., Capreol., Tabie., Sot., Abulen., aliique plurimi suo quisque tempore subscripserunt, ea, inquam tutiore, & probabiliore sententia non obstante, Rom. Pontifices & Casimirum Regem Poloniæ, & Ramirum, seu Ranimirum II. Arãgonum Regem X., & Nicolaum Justiniani Monachos a votis solemnibus absolverunt, & ut uxorem ducerent, indulserunt: prætulerunt igitur Rom. ipsi Pontifices minus probabilem, ac tutam tutiori, & probabiliori sententiæ.

189. Ad hæc Eruditiss. Gazzaniga in nota 2. ad num. 101. ait: *Quæ narrantur de*

Con-

Constantia filia Rogerii Siciliæ Regis, diſpenſata à Cœleſtino III., ut nuberet Henrico VI. Imper., quum prius eſſet ſanctimonialis, ut ſuppoſititia habentur à Baronio ad an. 1186., *Nat. Alex. Sæc. XII. cap. II. art. XIII., & ab aliis ſeverioris critices eruditis. Idem judicium ferri poteſt de ſimilibus abſolutionibus à votis ſolemnibus Religionis, quæ dicuntur factæ ab Alex. III. Nicolao Juſtiniani, ne tam Illuſtris Familia extingueretur, a Bened. IX. Caſimiro Regi Poloniæ, & Ramiro Regi Aragoniæ, qui omnes Monachi erant Ordinis S. Bened.*

190. Dum hæc ita ſcribit Gazzaniga ſeverioris critices eruditis adnumerari certe non meretur; namque vere criticus ſi eſſet, facile animadvertiſſet, & continenter admonuiſſet lectorem, abſolutionem à votis ſolemnibus non niſi præpoſtere dici poſſe Ranimiro Aragonum Regi datam à Bened. IX. Ex iis enim, quæ apud Baron. (*a*) de Bened. IX., & apud Hieron. de Blancas (*b*) de Ranimiro Rege leguntur, luculenter eruitur, nullo pacto potuiſſe Bened. IX. Ranimiro abſolutionem impertiri, quum Bened. jam an. 1054. obiiſſet, 30. circiter annis ante ortum, & 80. ante matrimonium Ranimiri, qui anno 1135. uxorem duxit quinquagenarius. Juxta regulas igitur critices ſe-

(*a*) Baron. ad an. 1054.

(*b*) Blancas in Aragonens.rer. commentar.pag.146.edit. Caeſaraug. 1588.

severioris scribere Gazzaniga debuisset; *quæ facta dicuntur à Bened. IX. Casimiro Regi Poloniæ, & ab Innoc. II., vel Anacl. II. Ranimiro Aragonum Regi.*

191. Insuper licet per quam optimo jure Baron., Nat. Alex., & alii severioris critices Eruditi dispensationem Constantiæ datam, fabulis, commentisque accensendam judicaverint; ut tamen *idem judicium ferri posset* de aliis Justiniani, Casimiri, & Ranimiri à votis absolutionibus, opus erat, ut ad istas absolutiones negandas rationes suppeterent similes, aut pares rationibus, ob quas Baron. (*a*) Constantiæ dispensationem negavit; ubi enim par non est ratio, idem esse nequit judicium; illiusmodi vero ratio nulla profertur.

192. Item quod adtinet ad Casimirum, Nat. Alex. (*b*) Casimiri a votis absolutionem nequaquam inficiatur, inficiatur autem (*c*) dispensationem Constantiæ; ergo saltem is severioris critices eruditus non idem certe de Casimiro, quod de Constantia, judicium tulit.

193. Et vero neque idem, quod de Constantia judicium, si quod forsan de illa tulerint, de Casimiro tulerunt alii Scriptores; quin imo Casimirum Monachum, & Diaconum Bened. IX. dispensatione duxisse Uxorem, indu-

(*a*) Baron. ad. an. 1186.
(*b*) Nat. Alex. sæc. XI. cap. 1. art. IV.
(*c*) Idem sæc. XII. cap. II. art. XIII.

dubitanter adfirmarunt Longinus (*a*), & Cromerus (*b*), ut legere est in notis ad histor. Nat. Alex. (*c*). Baronius item (*d*), Pagius (*e*), Mavillon. (*f*), Azor. (*g*), aliique quam plurimi.

194. Denique quod Ranimirum ſpectat, quamquam Nat. Alex. (*h*) Pontificiam ab matrimonii impedimentis abſolutionem Ranimiro factam omnino neget, eam tamen conceſſam re vera adfirmant Oderic. Vital. (*i*), Guillelm. Neubrigen. (*l*), Robert. de Monte (*m*), Ranimiro ipſi contemporanei, ut (*n*) in notis dicitur ad Alex. hiſtor. paulo ante cit., Hieron. item Surita (*o*), Hieron. de Blancas (*p*), & præter alios bene multos Joann. Mariana (*q*): eos autem citatos Scriptores ecquis non reputet ſeverioris critices Eruditos?

195. Por-

(*a*) Longin. lib. 3. hiſt. Polon. ad an. 1040.

(*b*) Cromer. de Orig. & reb. geſt. Polon. lib. 4.

(*c*) Roncaglia in notis ad Hiſtor. Nat. Alex. ſæc. XII. cap. II. art. V. *De Innoc. II.* nota 2.

(*d*) Baron. ad an. 1041.

(*e*) Pagius in crit. ad Baron. hiſt. an. 1011.

(*f*) Mavillon. in Annal. Bened. tom. 4. lib. 58. nu. 4.

(*g*) Azor. in Inſtit. Moral. tom. I. lib. 12. cap. 7.

(*h*) Nat. Alex. ſæc. XII. cap. XI. art. IV.

(*i*) Oderic. Vital. lib. I. hiſt.

(*l*) Guillel. Neubric. lib. 2. cap. 20.

(*m*) Rober. de Monte in Chron.

(*n*) Roncaglia in notis ad Nat. Alex. Hiſt.

(*o*) Hieron. Surita in Indicibus.

(*p*) Hieron. de Blancas in Aragon. rer. Comment. pag. 147.

(*q*) Joannes Mariana lib. 10. cap. 15.

195. Porro inficiari facta non potes, quæ tot, tantique Scriptores facta testantur, nisi alia validiora argumenta ex Topicis Aristotelicis ad illa neganda producas: quodsi vero facta fateberis, fatearis tandem necesse est, Rom. Pontifices illa, quam supra dixi, minus tuta, minusque probabili sententia nonnumquam usos, à votis solemnibus absolvisse.

196. Satis ista sunt, uti reor, ut illa nostri Recentioris nota non satis ad severioris critices amussim facta dignoscatur. Verum quum nil equidem soleam adfirmare, quin cumulate probem, resque ipsa altiorem postulet indaginem, animo constitui, ne longa nimis digressione Theologicam Dissertationem interrumperem, adjecta sub finem appendice, argumentum istud de Ranimiri Monachi, Sacerdotis, & Episcopi matrimonio pro dignitate tractare.

197. Interea S. Bonav., Scotus, eorumque Discipuli, uterque Sotus, & 30. alii D. D. apud Thom. Sanchez (*a*) alteram opinionem tuentur, qua asseritur, matrimonium ratum dissolvi à Rom. Pont. non posse, eamdemque longe probabiliorem oppositâ, atque communem Illorum plerique appellant. Atqui Martin. V., & Eugen. IV. apud S. Antonin. (*b*),

 Ad-

(*a*) Sanch. lib. 2. de Matrim. disp. 12. nu. 1.
(*b*) S. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 21. §.3.

Adrian. VI. apud Revell. (*a*), Paul. III., & Pius IV apud Navarr. (*b*), Greg. XIII. apud Henriquez (*c*), & alii Rom. Pont. illiusmodi matrimonia dissolvi sæpe decreverunt: ergo juxta opinionem minus tutam, minusque probabilem operati sunt.

198. At illi omnes Rom. Pontifices, ajunt Probabilioristæ cum Thyrso (*d*) probabiliorem existimaverunt illam sententiam, quam indulgendo sequebantur. Nihil videlicet Sum. illi Pontifices indulgendo opinabantur, nihil mente cogitabant, animisque volvebant, quod Probabilioristæ non suismet oculis viderent, planeque sentirent.

199. Verum Adrian. VI. teste Soto (*e*), sensus suos omnes inter indulgendum palam fecit: audita expostulatione excanduit; se in ea esse sententia dixit, qua matrimonium ratum sua dissolvi auctoritate non posse censeret: & tamen contrariæ opinionis documenta considerans, eamque solide probabilem agnoscens, judicium reflexum efformavit, & ut matrimonium, de quo agebatur, dissolveretur, indulsit.

200. Is

(*a*) Revell. par. 2. lib. 2. qu. 15. sæc. 3.
(*b*) Navarr. in Sum. cap. 22. nu. 21.
(*c*) Henriq. lib. 2. de matrim. c. 8. n. 11.
(*d*) Thyrs. dissert. 14. nu. 44.
(*e*) Sotus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 4.

200. Is porro, & reliqui Pontifices probe sciebant, contrarias dissidentium T. T. opiniones ita ferme esse tum ratione, tum auctoritate munitas, ut vix, & sæpe ne vix quidem internosci possit, quænam illarum probabilior alterâ debeat æstimari. Agnoscebant utique opinionem minus tutam, quam usui aptare meditabantur, non esse certam, sed imo à Sapientiss. Viris refelli; eamdem autem simul noverant, gravibus rationum momentis esse suffultam, & à Viris etiam doctiss. adprobari: istudque satis Illis fuit, ut opinioni minus tutæ, ac solide probabili, sive æque probabilis esset, sive minus, responsa sua accommodari posse, certò censerent.

201. Omnem vero aditum illiusmodi Probabilioristarum tergiversationibus Urban. VIII. interclusit. Orto quondam dubio super matrimoniis infidelium, qui ad Christi fidem convertebantur, P. Joann. de Lugo, postea Card. nomine Provinciæ Paraquariæ Soc. Jesu illud ad Urban. VIII. detulit, ab eoque enixe postulavit, ut pro sedandis animorum anxietatibus, aliisque gravissimis incommodis vitandis, rem supremo suo oraculo dignaretur definire. Respondit Pont., *non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse; sed ubi D. D. sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequerentur* (Missionarii) *opiniones pro conditione locorum, & hominum barbaris favorabiliores.*

 Ita

Ita referunt Nicol. de Techo (*a*), Cardenas (*b*), Viva (*c*), Gormaz (*d*), La Croix (*e*), & alii.

202. Ad hæc Prælectionum Auctor Sapient. tria respondet: num. 98. ait cum Thyrso, nihil esse, quod cogat indubiam Nicolao Historico fidem dare: num. 99. in Urbani responso, si datum unquam est, vocem hanc *probabiliores* subintelligere pronum esse, ita ut Urbanus opiniones barbaris favorabiliores sequi tantum probaverit, si ipsæ item essent probabiliores: & num. 97. præmiserat, sine tacita illa limitatione, vel simili alia interpretatione Urbani VIII. oraculum, & Successoris sui Innoc. XI. decretum in concordiam vocari non posse.

203. Primum Gazzanigæ effugium, quod jam supra num. 118. retuleramus, vanum est, atque falsum; quippe ad dandam homini ingenuo ab ingenuo homine indubiam fidem; quandocumque nil obstat, est, quæ cogat, urbanitas: nil autem obstat in præsentia; nam licet preces Pontifici oblatæ, eisdem verbis, quibus fusæ fuerant, ab Historico referantur; non ita vero Pontificis responsum, esse nequit istud

(*a*) Techo in hist. Prov. Paraquar. cap. 15.
(*b*) Carden. in 1. prop. ab Inn. XI. damnat.
(*c*) Viva in eamd. prop. nu. XXIX.
(*d*) Gormaz de Sacram. nu. 323.
(*e*) La Croix lib. 6. par. 3. nu. 529. 538.

Digitized by Google

istud in causa , ut fides Historico negetur. Quum enim preces , Pontifici à P. de Lugo fusæ , litteris consignatæ fuissent , ac domi illarum exemplar , & penes se Historicus haberet , commode ipsas potuit , ac debuit eisdem expressas verbis transcribere : at Pontificis responsum , quum litteris consignatum non fuisset , sed viva voce traditum , tantum exigi à fideli , veracique Historico potuit , ut in narratione verus , & integer responsi sensus exponeretur .

204. Expositum autem ita ab Historico fuisse , satis clare eruitur ex epistola , quæ in scrinio Præpos. Gen. Romæ servatur (*servatur* dixi , quum primam Dissertationi manum admovebam , nunc vero dici fortassis debet *servabatur*) à R. P. Mutio Viteleschio die 31. Julii 1630. ad Provincial. Prov. Paraquar. data , quæ sic habet : *Super matrimoniis infidelium , quando ii Evangelii fidem amplectuntur , utrum solvenda sint , necne , respondeo per P. Procurat. , qui suæ Sanc. responsum referet , & aliorum etiam T. T. sensum . Hæc rei summa , scilicet perpendendum , sit , necne probabile , quod in controversiam adducitur. V. R. Viris doctis injungat , oro , ut sedulo quæst. discutiant , judicium suum exponant : & quod probabile sit , statuatur , atque communi , & concordi usu in Prov. universa servetur .*

 205. Quod

205. Quod secundum spectat Recent. effugium, tum res ista quidem agebatur, quum Probabilismus, prout ex historica synopsi constat, nec adversarii diffitentur, longe, lateque diffusus, fere omnium animis insidebat, anno nempe 1639.: quidni ergo dicendi, & habendi sint majori saltem ex parte Probabilistæ illi D. D., quorum super re judicium Urbanus, antequam responderet, perspectum habuit?

206. At illud certe, utpote T. T. Probabilistarum judicium neutiquam suggerebat, ut usus opinionis barbaris favorabilioris permitteretur, dummodo probabilior esset; sed abs dubio usum favorabilioris, etiamsi probabilior non esset, permitti posse, T. T. Probabilistæ sentiebant. Quum igitur Pont. responsum, ut historicus refert, & Mutius in sua epist. testatur, illorum T. T. sensibus concors fuerit, subintelligi in Pont. responso illa limitatio non debet.

207. Præterea Jesuitis Urbanus respondebat, quorum plerosque Probabilistarum partes sectari, atque tueri, & responsum absque illa limitatione accepturos, nisi limitatio expressis verbis adhiberetur, erat certo certius: quum ergo Pont., negotium cum Probabilistis tractans, illam limitationem non expresserit, ei certe cordi non fuit, ut eadem subintelligeretur.

208. Po-

208. Postremo expositum Ss. Pontifici fuerat à P. de Lugo, Ministros Evangelii in Prov. Paraq. sententiis dissidere; nonnullos contendere, matrimonia, ab illis gentibus in infidelitate contracta, valida esse, & neophitos ad primam è multis, quibus abutebantur, & quæ opinione illorum T. T. sola fuerat vera, & legitima conjux, recipiendam, seu retinendam esse cogendos: alios è contrario censere, non tam illa ferme matrimonia, quam concubinatus fuisse, & cogi neophitos non posse ad ullam pellicum sibi retinendam in conjugem. Dubitabatur igitur, fuissent, necne valida matrimonia infidelium; & in hoc dubio negantium matrimonii valorem sententia, barbaris longe favorabilior, longe etiam probabilior, quam rigida affirmantium à plerisque judicabatur.

209. Ex illo dubio aliud emergebat, scilicet num, stante illa impedimenti dirimentis, quod dicitur *ligaminis*, incertitudine, & attento utriusque Juris dogmate, quo *Causæ matrimon. favorabilis* nuncupatur, liceret neophitis, necne, absque Rom. Pont. dispensatione cum altera conjugium inire: & in dubio isto longe probabilior videbatur multis sententia libertatem barbaris negantium, ut negat Emman. Sa (a), quam affirmantium, ut affir-

 mat

(a) Sa in Sum. ver. *Dispensatio*.

mat Thom. Sanchez (a); namque illa, quamvis barbaris rigidior esset, matrimonio tamen contracto erat favorabilior; ista vero, quamvis barbaris esset favorabilior, talis certe non erat matrimonio contracto, cujus inficiabatur valorem.

210. Quum igitur ex una parte, si neophitis aliam ducere permittebatur, matrimonium hoc frustrationis periculo, & ipsi contrahentes periculo incontinentiæ exponerentur; ex alia vero parte, si neophiti ad primam, quæ forsan pellex fuerat, fortasse conjux, unice retinendam adigebantur, plurima inde, & gravissima animabus damna orirentur præter animorum abalienationem à Catholica fide: in hoc rerum, atque malorum, utrimque imminentium, conflictu delata ad Sum. Pont. res fuit, & ab Ipso expostulatum, ut illius Regionis Missionariis facultatem faceret, qua nomine, & auctoritate Ipsius possent neophitis, quandocumque ligaminis impedimentum dubium esset, oportunam dispensationem ad cautelam impertire. His Pont. respondit: *Non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse; sed ubi D. D. sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequerentur Missionarii opiniones, pro conditione locorum, & hominum barbaris favorabiliores.*

211. Fin-

(a) Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 6. nu. 18.

211. Fingamus addidisse, dummodo probabiliores sint: en jam responsum ineptissimum: quippe tunc qui nulla fuisse matrimonia adserebant, & neophitis libertatem dabant uxorem quamcumque vellent, ducendi, sententiam suam, attento Pont. responso, in praxi servandam esse contenderent, utpote barbaris favorabiliorem: alii autem, qui prima matrimonia valida fuisse censebant, ac neophitis ad alia conjugia libertatem denegabant, suam hanc sententiam præferendam existimarent, quum hæc ipsis esset alterâ probabilior, qualem Pontifex exigebat, inquiens *dummodo probabiliores sint*; ac demum omnes in id absurdissimum convenirent necesse esset, scilicet neutram esse in usum deducendam; quum neutra probabilior simul, & barbaris favorabilior videretur; sicque illis neophitis novum matrimonium neque permitti posset, neque prohiberi. Qua igitur ratione subintelligi aut debet, aut potest in Pont. responso limitatio, quæ si expresse adhiberetur, illud nugatorium, & absurdum efficeret?

212. Ad tertium quod attinet, pingui æquivocatione laborat Gazzaniga, & probabilius cum tutiore, ac tutius cum probabiliore confundit, dum Urbani responsum illius limitationis *dummodo probabiliores sint* adjectione in concordiam cum Innoc. decreto vocari posse arbitratur.

213. Pro-

213. Profectò nemo neſcit, non raro quod probabilius eſt, eſſe minus tutum; & quod tutius eſt, eſſe minus probabile. In controverſia quidem ſuper obligatione confitendi circumſtantias, notabiliter intra eamdem peccati ſpeciem aggravantes, Theologi, qui negant illam obligationem, ſententiam ſuam probabiliorem putant, & tamen minus tutam eſſe fatentur: ergo ipſis probabilius nequaquam, eſt idem, ac tutius. Similiter qui adfirmant illam obligationem, ſuam opinionem probabiliorem quoque dicunt, & vero addunt, eamdem, etiamſi minus probabilis eſſet, fore tutiorem: ergo nec iſtis idem tutius, ac probabilius eſt. Quamvis igitur circa prædictam obligationem opinionibus Illi diſſideant, in eam tamen cuncti ſententiam unanimiter conveniunt, qua judicent, nihil eſſe probabilius eo tantum, quod tutius ſit, & nihil tutius eo tantum, quod ſit probabilius.

214. Hoc certo T. T. omnium judicio præſuppoſito, argumentor ita: adjecta Urbani reponſo limitatione *dummodo probabiliores ſint*, ad ſequendam circa valorem matrimonii opinionem probabiliorem Urbanus obligaret, & ſequi minus probabilem, etiamſi ſolide eſſet probabilis, prohiberet: ergo ſequi Miſſionarii poſſent, & deberent minus tutam, ſi probabilior eſſet, & ſequi non poſſent tutiorem minus probabilem, quum hæc non eſſet probabilior,

lior, & propter adnexam limitationem solummodo per Urbanum liceret sequi probabiliorem.

215. E contrario Innoc., damnans (*a*) primam è 56. propositionibus, dicentem: *Non est illicitum in Sacram. conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, decreto suo sequi præcipit opinionem tutiorem circa valorem matrimonii solide probabilem (solida enim probabilitas semper ad prudenter operandum est necessaria) etiamsi minus sit probabilis, & sequi minus tutam prohibet, quamvis sit probabilior: nam *ex tenore decreti Innoc. XI.*, ut recte Cardenas commonefacit (*b*), *tenemur omittere* (seu non sequi) *opinionem probabiliorem, quando minus probabilis est tutior* Missionarii igitur, quibus per Urban. liceret minus tutam sequi, dummodo probabilior esset, ex vi Innocentiani decreti sequi non possunt minus tutam, quamvis sit probabilior, sed sequi debent tutiorem etiam minus probabilem: ergo, illa limitatione adjecta Urbani responso, istud, & Innoc. decretum minime cohærerent.

216. Pressius: ex tenore responsionis Urbani, præfata limitatione instructæ, attendere Missionarii debent inter solide probabilia, non quidem quid tutius sit, sed tantummodo quid sit probabilius, istudque sequi, sive tutius sit, sive minus tutum. Contra verò ex tenore In-

no-

(*a*) Innoc. XI. die 2. Mart. *1679*.

(*b*) Carden. dissert. 2. cap. 2. nu. 13.

nocentiani decreti attendere Missionarii debent inter solide probabilia, non quidem quid probabilius sit, sed solummodo quid tutius, istudque sectari, sive probabilius sit, sive minus probabile: nequidquam ergo noster Theologus illam limitationem adjecit, qua Urbani, & Innoc. placita minime in concordiam vocare potuit.

217. Quod autem Probabiliorista Gazzaniga majoris suæ probabilitatis additamento non præstitit, absque illo præstitit Cardenas Probabilista (*a*), sic scribens: *Quomodo ergo hoc responsum Urbani concilietur cum* (Innocentiana) *damnatione primæ propositionis, ex dictis, & ex dicendis facile est intelligere: ex dictis quidem. Nam quum detur consuetudo ineundi matrimonium, & judicandi de valore illius juxta opinionem vere probabilem & communiter receptam ut talem, quæ consuetudo habet vim legis, inde est, quod talis consuetudo habeat vim reddendi certum valorem matrimonii.*

218. *Item ex Constitutionibus Ecclesiæ Causa matrimonialis est favorabilis. Nam si dicamus, Ecclesiam favere velle matrimoniis non solum contractis, sed etiam contrahendis; & ex dispositione Ecclesiæ ea impedimenta non dirimere, quando pro utraque parte est vera probabilitas; sic bene componitur, quod Sacramentum non exponitur frustrationi. Talis enim* Ec-

(*a*) Carden. diss. 2. nu. 554. 555.

Eccleſiæ diſpoſitio faciet contractum eſſe certo validum, & praxim omnino tutam.

219. Probatur 4. Probabiliſtarum ſententia ex Jure Can.: Tria Probabiliſmo inconcuſſa ſunt firmamenta, quibus innititur, ac veluti cardines, quibus volvitur, ut poſtea palam fiet. Primum: in incertis mitiorem partem eſſe eligendam. Secundum: legem dubiam, ſeu incertam nullam vim habere obligandi. Tertium: in dubiis, ſeu in incertis poſſeſſoris conditionem meliorem eſſe: & eadem tria oppido ſolemnia ſunt in Jure Canonico.

220. Primum in lib. 2. Decret. tit. de ſent. & re judic. Cap. *Duobus* 26. dicitur *Duobus Judicibus diverſas ſententias proferentibus,... tenet pro reo, non pro actore ſententia*: & gloſ. ver. *pro reo* minime majorem probabilitatem pro ratione deſignat, ſed *quia promptiora ſunt Jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum*. Tit. *de uſuris* Cap. *Negotianti* 19 *Quum veriſimiliter* (probabiliter) *de contractu dubitatur, non debet ex hoc uſurarius reputari*; & gloſ. ver. *veriſimiliter dubitatur*: *Propter dubium excuſatur, quia.... dubia in meliorem partem interpretari debent*; & *quia promptiores eſſe debemus ad abſolvendum, quam ad condemnandum*. Idem clariſſime præſcribitur de Reg. Jur. in 6. Reg. 11., 15., 30., 47. Unde Hoſtienſis apud S. Antonin. (*a*): *Ubi ſunt*, ait, *di-*

(*a*) S. Anton. I. par. tit. 3. cap. 10.

diversæ opiniones, & diversa judicia, semper humanior est præferenda, & æquior.

221. Quo circa Suar. (*a*) nimiam illam Hostiens, universalitatem, qua *semper* benigniorem sententiam anteferendum esse dixit, suis justis limitibus circumscribens, atque Rom. Pont. decisioni, Cap. penult. *de Jurejurando* relatæ, inhærens, sapientissime docet: *Quoties ergo* (non semper, sed quoties) *res ita fuerit dubia, ut ex circumstantiis personæ, temporis, loci, & similibus contrarium non præsumatur, in dubio sequenda est benignior interpretatio. Neque tunc omittitur pars tutior; quia hæc est tutissima, & practice certa, & secundum rectam rationem, & interpretationem potest dici tutior, quia majus periculum animarum incurreretur, si tot vincula in casibus dubiis eis injicerentur.*

222. Secundum, nempe legem incertam, sive dubiam neminem obligare per se loquendo, clare stabilitur in Jure: in lib. 1. Decret. dist. 4. Cap. *Erit autem lex* 2. dicitur: *Erit autem lex manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat.* Item lib. I. Decret. Greg. tit. 2. *de Constit.* Cap. *Quoniam* fin. *Quoniam Constitutio Apost. Sedis omnes adstringit, & nihil debet obscurum, vel ambiguum continere, declaramus* &c.; & glos. ver. *Ambiguum: lex enim sive Constitutio nullam obscu-*

ri-

(*a*) Suar. tom. 2. de relig. trac. 5. lib. 2. cap. 33. nu. 3.

Digitized by Google

ritatem continere debet. Item tit. *de offic. & potest. Jud. deleg.* Cap. *Quum in Jure* 31. ubi Innoc. *Nisi de mandato Sedis Apost. certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur*. Et sane Lactantio teste (*a*), *stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere* (obligatum sese censendo) *quæ utrum vera, an falsa sint, dubitatur*.

223. Quamquam vero tum Innoc. ibi, tum Lact. de Judice agant, vel Super. delegato, ratio tamen, ob quam uterque ab obligatione parendi liberant, incertitudo mandati est, sive præcepti; ajunt quippe, alter *nisi de mandato certus extiteris*; alter *si utrum verum illud, an falsum sit, dubitaveris*: ergo quandocumque lex certo non constat, sive lata illa fuerit ab Ordinario, sive à delegato Superiore; sive item legis incertitudo ab incertitudine legitimæ delegationis oriatur, sive aliunde, haberi in exploratissimis debet: *si de mandato certus non extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur*.

224. Quidquod exposito Innoc., & Lactantii sensui apertissime suffragantur præter alios quamplurimos magni nominis D. D., e Theologis S. Thom., & è Juris Canon. Peritis Benedic. XIV., Ille quidem inquiens in Sum.(*b*) *actuum humanorum mensura* (quæ lex est) *debet*

bet

(*a*) Lactan. lib. 3. Instit cap. 21.
(*b*) S. Tho. 1. 2. qu. 13. art. 4. ad 3.

bet esse certissima, & in quæst. de ver. (a) *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti*; iste vero in Notif. (b) admonens, *Onera, vel ligamina imponi hominibus non debere, nisi quum adest clara lex*.

225. Tertium, in dubiis scilicet vel in incertis possessoris conditionem meliorem esse, constat ex lib. 4. Decret. tit. de secun. nupt. Cap. *Dubitans* 21., ubi Luc. III. hæc ait: *Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non servaverit, sed, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, cum alio, vel alia contraxerit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti: quod à se tamen noverit nullatenus exigendum*: quia nimirum illa in casu non dubiâ, sed bona fide jus matrimoniale possideret; iste vero non bonâ, sed dubia fide. Item lib. 5. tit. *de sent. excom.* Cap. *Si conjux* 44. respondet Pontifex: *In secundo distinguimus utrum habeat* (impedimenti dirimentis) *conscentiam ex credulitate levi, & temeraria; an probabili, & discreta: & quidem ad sui Pastoris consilium: conscentiâ levis, & temerariæ credulitatis explosâ, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum quum conscentia pulsat animum ex credulitate pro-*

(a) Idem qu. 14. de verit. art. 3.
(b) Bened. XIV. notif. 13.

probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ob illam scilicet, quam dixi, disparem Juris matrimonialis possessionem. Ac demum de Reg. Juris in 6. Reg. 56., & 65.

226. *Nec nisi falso*, inquit Suar. (a), *& sine fundamento dici potest, eam doctrinam, ex Jure depromptam, solummodo in rebus, ad Justitiam pertinentibus, locum habere: quia non minus est vitandum peccatum in materia Justitiæ, quam aliarum virtutum: & sicut in materia Justitiæ occurrere potest sufficiens ratio, ob quam, non obstante illo generali dubio, potest in particulari esse certitudo practica de honestate actus; ita in materia aliarum virtutum potest similis ratio occurrere. Præsertim ubi res præcepta onerosa est, & gravis; tum illo principio, quod lex non obligat personam, vel ut alii loquuntur, non ligat illam, donec illi in particulari sit sufficienter proposita, nec per eam steterit, quo minus proponatur; tum etiam quia esset intolerabile onus præsertim in legibus positivis, quæ non solent, vel certe non possunt obligare cum tanto rigore.*

227. Probatur 5. Probabilistarum sententia auctoritate S. Raymundi de Pennafort, B. Alber. Mag., S. Tho., S. Bonavent., S. Antonini,

H quos

(a) Suar. Tract. de Censur. cap. 40. sec. 4. nu. 14., & 15.

quos duces Theologi Probabilistæ sectantur. Sane. Raymun. (a): *Unum tamen consulo*, ait, *quod non sis nimis pronus judicare mortalia peccata, ubi non constat per certam Scripturam esse mortal.a . . . . alias enim possent induci homines in desperationem*. Et quamvis Ipse ferme rigidiores sententias probet, ad illas tamen non obligat, sed imo sæpissime benigniorem adjungit, & istam alteri anteferri licite posse, clare indigitat apud Guald (b), quin majorem in ipsa requirat probabilitatem.

228. B. Alber. Mag. apud V. Joan. Nider (c) inquit: *Frater simplex, & quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Magni Doctoris opinionem sequatur*. Quod quidem cum grano salis, ut dici solet, est intelligendum propter. proposit. 27. inter damnatas ab Alex. VII. die 7. Sept. 1665., & 3. inter damnat. ab Inn. XI. die 2. Mart. 1679., & propter ea etiam, quæ supra dixi num. 16.

229. S. Thom. iterum iterumque monet (d) benignam legibus interpretationem esse adhiben-

(a) S. Raymun. in Sum. lib. 3. tit.34. de pœnit., & remiss. §. 21.

(b) Guald. de probabilitate cap. 27. a nu.32. ad 36., & a nu. 15. ad 17.

(c) Nider in lib. de consol. tim. consc. par. 3. cap. 11.

(d) S. Tho. 1. 2. qu. 96. art. 6. 2. 2. qu. 120. art. 1. & ibi. ad lum.

bendam. Item (*a*) legem esse *mensuram a-ctuum*, & (*b*) *mensuram debere esse certam non quidem omni modo infallibilem, & certam, sed secundum quod est possibile in genere suo*. Item (*c*) ait: *Unde nec imperio alicujus Regis, vel Domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti . . . . Nec aliquis ignorans præceptum Dei, ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præcepto ligatur*.

230. Item (*d*) eum, qui suppositis contrariis opinionibus, dubitationem abiicit, & sic operatur, ait, *non se discrimini committere, nec peccare*. Insuper (*e*) hac quæst. proposita: *Utrum habere plures præbendas sine cura animarum absque dispensatione sit peccatum mortale?* duas sententias de more refert, & secundam, quam in responsione sequitur, & confirmat, hisce verbis describit: *Quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum: sed Ecclesia sustinet, ut aliqui ha-*

 beant

(*a*) Idem 1. 2. qu. 90. art. 1.
(*b*) Idem ibi. qu. 6. art. 3. ad 3.
(*c*) Idem qu. 17. de verit. art. 3.
(*d*) Idem quodlib. 8. qu. 6. art. 13.
(*e*) Idem quodlib. 9. qu. 7. art. 15.

Digitized by Google

beant plures præbendas: ergo in hoc non eſt periculum peccati mortalis.

231. Quidni vero liceat & mihi ſimiliter argumentari? *Quod vergit in commune periculum, non eſt ab Eccleſia ſuſtinendum*: Sed Eccleſia ſuſtinet Probabiliſmum: ergo Probabiliſmus non vergit in commune periculum, atque perniciem animarum, centies in ſua Prælectione à noſtro Recent. nobis intentatam. Majorem non negat S. Tho., ſed eam explicat in reſp., & explicatam veluti certiſſimam habet. Minor eſt evidens, quum Eccleſia nondum damnaverit, neque ab innumeris Probabiliſtarum libris, ubi in propatulo ille eſt, expungi Probabiliſmum decreverit. Conſeq. liquido deſcendere ſi inficieris, S.Thomæ (proh nefas!) dialecticam reprobabis.

232. Jam vero ad propoſitam quæſt. reſpondens, ait S. Doct. *Dicendum, quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur .... præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt: quod in hac quæſt. accidit. Quum enim hæc quæſtio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex Jure Div., vel ex Jure naturali: & ad Juriſtas, in quantum dependet ex Jure poſitivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contraria ſentire.*

233. Decidit autem S. Doct., quod ad Jus Div. adtinet, peccatum non eſſe, *quia in Sac. Script:*

Script. expressa mentio ea de re non ſit, quamvis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus Scripturæ forte adduci possint, quæ tamen non dilucide veritatem ostendunt: ergo quum *expresse*, ac *dilucide*, sive certo veritas prohibitionis non ostenditur, actione, seu opere non peccatur: atqui quum solide probabile est, actionem lege non prohiberi, prohibitionis veritas expresse, dilucide, aut certo non ostenditur: non ergo peccatur actione.

234. S.Bonav. (*a*) duas contrarias opiniones proponit, probabilem utramque judicat, & utramlibet sequi permittit; atque hoc sibi universim servandum proposuerat, prout Ipsemet (*b*) protestatur, inquiens: *Per totum librum hoc diligentius observavi, sicut advertenti clarius apparebit, ut in his quæst. dubiis, & difficilibus, in quibus non potui deprehendere, quæ esset via communis, quia Sapientes opinantur contrarie Sapientibus, sic unam partem tamquam magis probabilem sustinerem, ut tamen aliam minime improbarem.*

235. S. Antonin. (*c*) dubia ferme decidit juxta illud, quod (*d*) ad instar inconcussi prin-

 ci-

(*a*) S. Bonav. in 4. dict. 6. par. 2.dub. 1., dist. 13.ar.2. qu. 2., dist. 17. par.2. ar. 1. qu. 3., dist.38. ar. 2.qu.3., & alibi.

(*b*) Idem in 3. dist. 4. dub. 3.

(*c*) S.Anton. in Sum. Confes. par. 1. trac. 2., de 2. præcep. cap. 2., & in Mai. sum. par. 2. tit. 1. cap. 20. §. 3., & tit. 13. cap. 4. §.7., & par. 4. tit. 1. cap. 11,

(*d*) Idem 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10.

cipii constituerat, nimirum *Justitia, pensatis omnibus circumstantiis, dulcore misericordiæ temperata, præponderat Juris rigori secundum Juris peritos: secundum hanc virtutem possum præcepta Dei, Ecclesiæ, Prælatorum, seu Judicum benigne interpretari . . . Inter duram, & benignam circa præcepta sententiam benigna est potius, cæteris paribus, interpretatio facienda: quod etiam adserit Gullelmus.*

236. Hæc dixerim, non quod omnia, & singula ab omnibus, & singulis his D. D. adserta, probem; sed ut ipsos, prout sua cujusque aetas ferebat, posterorum temporum Probabilistis vere prælusisse ostenderem: Nam cæteroquin plane scio, illorum non neminem aliquam propositionem potulisse, ac usui permisisse, quæ nostris certe temporibus non modo improbabilis, verum falsa etiam, & absurdissima censetur. Neque mirum id cuiquam videri potest, ut Canus observat (*a*), ad illud fortassis alludens Varronis (*b*) effatum: *neque in bona segete nullum est spicum nequam.*

237. Probatur 6. eadem Probabilistarum sententia rationibus; Prima: ut lex obliget, sufficienter promulgata, & proposita debet esse, prout unanimi consensione T. T. omnes tradunt

(*a*) Canus lib. 7. de loc. theol. cap. 3.
(*b*) Varro de lege *Mania*.

dunt cum S. Tho. (*a*): ergo ut lex ad aliquam actionem, vel omissionem obliget, intelligi debet promulgata, & sufficienter proposita circa eamdem actionem, vel omissionem: atqui stante opinione solide probabili, qua negatur, actionem illam, vel omissionem sub lege contineri, lex, quamvis in Campo Floræ, & ad valvas Apostol. affixa certo fuerit, & sufficienter promulgata à Vasquezio, fere nullo T. T. Probabilistarum dissentiente, absolute dicatur; circa illam tamen actionem, vel omissionem sufficienter promulgata, atque proposita nec dicitur, nec est: ergo lex illa ad eam actionem, vel omissionem non obligat.

238. Probat. min.: lex sufficienter promulgata, atque proposita non est, quum post attentam momentorum, quæ pro lege, & contra legem adducuntur, considerationem negari prudenter potest promulgatam esse, & propositam: atqui stante prædicta opinione solide probabili, prudenter negari potest, legem promulgatam esse, & propositam circa actionem, vel omissionem, de qua agitur; sic enim negant prudentissimi Viri, Auctores scilicet omnes, qui minus tutam sententiam solide, graviterque propugnant: ergo lex circa illam actionem, vel omissionem sufficienter promulgata, & proposita vere non est.

 239. Præ-

(*a*) S. Tho. 1. 1. qu. 90. art. 4.

239. Præclarissime Suarezius (*a*): *Quamdiu est*, inquit, *judicium probabile, quod nulla sit lex, prohibens, vel præcipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita, & promulgata homini: unde quum obligatio legis sit ex se onerosa, & quodammodo odiosa, non urget, donec certius de illa constet; neque contra hoc urget aliqua ratio, quia tunc re vera non est contraria pars tutior in ordine ad conscientiam, neque ibi est aliquod dubium practicum, nec periculum*.

240. Ast fefellit Suarezium opinio sua, falsusque dixit *judicium esse probabile, quod nulla sit lex*. Illum scilicet prætervolavit, quod præ sublimitate sua vel ipsum etiam prætervolavit Gazzanigam tum, quum primis Prælectionum editionibus operam dabat; ipsi tamen postea fortunatissime venit in mentem, ut ultimam editionem hac singulari per quam utili, ac necessaria admonitione locupletaret. Sic num. 71. edit. Bonon. Prælector scribit: *In hujusmodi controversiis non dubitatur an lex existat, sed potius de ejusdem legis interpretatione, & intelligentia. Sic ex gr. lex, quæ probibet usuram, certissime existit: dubitatur autem, an talis contractus sit usurarius, adeoque probibitus. Agitur ergo an lex intelligatur etiam comprehendere talem contractum*.

241. Pro-

(*a*) Suar. in 1. 2. disp. 12. de prox. reg. bonit. & malit. human. act. sec. 6. nu. 8.

Digitized by Google

241. Profecto legem existere, qua omnis usurarius contractus prohibetur, lippis notum, certumque est: hunc vero, vel illum singularem contractum usurarium esse, & illa lege prohibitum, sub Judice adhuc est, & nondum satis est exploratum vel ipsis T. T. sapientiss., quibus dubitare, an illa lex comprehendat hunc contractum, nihil aliud est, etiamsi accuratissime loquamur, quam dubitare, an respectu istius contractus illa existat: si enim istum contractum comprehendit illa lex, existit respectu istius contractus; si non comprehendit, respectu istius contractus non existit: ergo per quamoptime dixit Suar. *judicium esse probabile, quod nulla sit lex prohibens, vel præcipiens actionem* de cujus licitudine disputatur.

242. Dixerat Cl. Gazzaniga in Edit. Ven. num. 65., & ratum habuit in Bonon., inculcavitque, videri sibi *nihil absurdius excogitari posse hac Probabilistarum illatione: lex est incerta: ergo certissime est nulla: dubitatur an lex obliget, probabiliter, & fortassis probabilius obligat: ergo proculdubio non obligat.*

243. Resp. quamvis nihil absurdius excogitari posset, posse tamen aliquid æque absurdum excogitari, qualis ista est Probabilioristarum simillima illatio: *lex est incerta: ergo certa lex est: dubitatur an lex obliget, probabiliter, & fortasse æque probabiliter non obli-*

obligat: *ergo proculdubio obligat*, aut hoc alio pacto: *mere probabilius est*, *& non certum legem obligare*: *ergo non mere probabilius*, *ſed certum eſt legem obligare*. Dixi *mere probabilius*, *& non certum*; quia non de certa rei notitia, ſed de opinione in præſentiarum ſermo eſt, quæ quamvis probabilior contrariâ ſit, ad certitùdinem non pertingit, quin potius propter gravia oppoſitæ ſententiæ, ſolide licet minus probabilis, argumenta prudentem aliquam falſi formidinem præſefert, quod eſt opinionis.

244. Ut ut vero illiuſmodi Probabilioriſtarum illationes rectæ ſint, vel abſurdæ; nulla profecto abſurditate laborant illæ aliæ, quas Recent. veluti abſurdas propoſuit, ſi ſenſus verborum introſpiciatur, quem & materia ratiocinio ſubjecta, & diſputationis ſcopus apertiſſime determinant: etenim & materia, & ſcopus exigunt, ut in utraque illa illatione aliquid ſubintelligatur, & hoc pacto explicentur: *lex eſt incerta*: *ergo certiſſime eſt nulla* QUOAD OBLIGANDI VIM: *dubitatur an lex obliget*, MERE *probabiliter*, *& fortaſſe* MERE *probabilius obligat*: *ergo proculdubio non obligat*: Hac autem ratione perquam optime argumentantur Probabiliſtæ, nullumque apparet in eorum illationibus abſurditatis veſtigium.

245. Lu-

245. Lubet rem exemplo dilucidare. Quando ignota lex est, perperam quis inferret illam vere non esse, quum multa passim ignorentur, & tamen vere sint: similiter quando lex est dubia, vel dubitatur an sit, perperam quis deduceret: ergo lex vere nulla est; quum plurima re vera sint, quamvis esse nón constet. Ac rei istius ratio desumitur ex illo principio per se *noto*: *Quodlibet est*, *vel non est*, vi cujus quidquid est, vere est, sive sciatur, sive ignoretur esse; & quidquid non est, vere non est, sive dubitetur, sive non dubitetur an sit: non ergo loquimur in præsenti de vera legis existentia, vel non existentia, quæ à nostris cogitationibus non dependent, sed loquimur de vi legis ad obligandum, & dicimus.

246. Sicut ignota lex (ignorantiâ invincibili, qua sæpissime indocti laborant) nullam potest obligationem inducere; ita lex dubia, seu incerta (dubio quoque invincibili, quod disputantibus inest, quum res solida probabilitate utrimque controvertuntur) nullam vim habet obligationem inducendi: ergo sicut lex invincibiliter ignota quoad vim obligandi certissime nulla est, ita lex invincibiliter dubia, seu incerta certissime nulla est quoad obligandi vim: neutra obligat, neutra ligat, sed utraque hominem ab omni ligamine, vel obligatione liberum relinquit: quapropter ex dubio

aut

aut incertitudine legis liquido infertur libertatis certitudo, sicut ex legis ignorantia infertur conscientia libertatis.

247. Instat Dissertiss. Theol. num. 73.: si lex dubia parendi obligationem non induceret, nullum esset discrimen inter legem dubiam, & nullam, aut falsam, aut injustam legem: atqui falsum hoc: ergo lex dubia veram, ac certam obligationem parit, *non quidem per se, & directe, sed indirecte, & ratione alterius legis certissimæ, qua tenemur peccandi periculum removere, aut effugere.*

248. Resp. dist. mai.: nullum esset discrimen. quoad obligandi vim, con.; nulla enim ex illis legibus vim habet actu obligandi; nullum esset discrimen ex aliis capitibus, nego mai.; quae enim lex est dubia, neque absolute nulla est, neque falsa, neque injusta ut ex terminis patet. Quum igitur lex, ut obliget, debeat esse certa, & ligare neminem possit, nisi *mediâ scientiâ*, ut à S. Tho. didicimus, erit lex dubia, sicut lex invincibiliter ignota, quæ nullam obligationem inducit neque directe, & per se, ut est omnibus notum, neque indirecte, seu ratione periculi violandi legem: quandoquidem nullum est periculum violandi legem invincibiliter ignotam, eo quod formalis, seu culpabilis violatio legis non obligantis implicatoria, & impossibilis sit: quum ergo lex dubia, seu incerta pariter non obliget,

nul-

nullum pariter erit periculum eam formaliter seu culpabiliter transgrediendi.

249. Secunda ratio: Certum est apud omnes Catholicos saltem post damnationem propos. 68. inter proscriptas à Greg. XIII. (*a*) & 2. inter proscriptas ab Alex. VIII. (*b*) ignorantiâ invincibili legis, prohibentis aliquam operationem, reddi operantem, peccati immunem: atqui quandocumque solide probabile est, operationem prohibitam non esse, adest invincibilis ignorantia legis prohibentis operationem: ergo tum operans immunis est peccati.

250. Probat. min.: nequit non esse invincibilis illa ignorantiâ, quæ diuturna Sapientissim. hominum, ac diligenti veritatis, nondum inventæ, pervestigatione vinci, aut superari non potuit: atqui quum solide probabile est operationem lege non prohiberi, tum veritas post diuturnam, ac diligentem ejus investigationem nondum innotuit; ignoratur enim, utrum verum reapse sit, quod probabilius dicitur, an quod minus probabile: ergo veritatis ignorantiâ invincibilis plane est,

251. Illustratur exemplo: dissidentibus T. T. super obligatione confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, nec post accuratam veri investigationem aliquid certi invenientibus, divinæ legis, illarum reticentiam proi-

(*a*) Greg. XIII. die 1. Oct. 1567.
(*b*) Alex. VIII. die 7. Dec. 1690.

prohibentis, ignorantiam proculdubio habemus, quæ tot tantorumque D. D. labore, ac diligentia depelli nequivit; ut propterea jure optimo invincibilis appelletur, & quæ reflexo judicio, omne peccandi dubium, ac periculum removendi det locum.

252. Ad hæc Recent. Cl. num. 75.: *Si res ita se haberet, infidelis, qui non credit ductus opinione minus probabili, esset a culpa immunis, quia certum est ignorantiam invincibilem excusare: atqui tamen, definiente Innoc. XI., talis infidelis non excusatur: ergo luce meridiana clarius apparet, non posse ignorantia invincibili eum excusari, qui opinionem minus tutam amplectitur, æque, aut minus probabilem.*

253. Resp., opinionem illam infidelis, quam ipse existimat probabilem, imo etiamsi eidem probabilior videatur, non esse solide probabilem; sed ab eo, talem imprudenter censeri, atque ex argumentorum inconsideratione suboriri: si enim infidelis, ut debuit, animum utriusque partis momentorum considerationi serio intendisset, Deo adjuvante, cujus auxilium nemini deest, falsitatem suæ sectæ, & nostræ Religionis veritatem certo deprehendisset. Unde ignorantia, qua infidelis, probabilitate sua ductus, laborat, non invincibilis, sed vincibilis, & voluntaria est, & excusare eum à peccato infidelitatis non potest,

test, ut Inn. XI. (a) 4. propos. damnans, definivit.

254. Instat num. 76.: *quamquam vitio non vertitur in hoc* (invincibilis ignorantiæ) *casu ignorare veritatem, quia id vitari non potest; non tamen caret culpa exponere se periculo probabili, aut probabiliori violandi legem*. Rem in prima edit. Viennensi confirmat exemplo ludentis, aitque ibi pag. 560. *Sane qui ludit.* (ludit enim vero Recentior) *certo omnino prævidere non potest, se perditurum pecuniam; nemo tamen dicet, eum ignorasse invincibiliter ludi exitum, adeoque pecuniæ jacturam esse illi omnino involuntariam: cujus hæc ratio est, quia quamquam id certo prævidere non potuit, potuit probabiliter, & prudentis erat à periculo abstinere*. In edit. Veneta exemplum istud prætermisit. Et in edit. Bononiensi loco ludentis exemplum adfert venantis, aitque nu. 82. *quamvis venator non possit omnino certo cognoscere, an, quod in dumetis movetur, fera sit, an homo, solum tamen hoc dubium sufficit, ut à trajectione abstinere debeat propter periculum homicidii*.

255. Quod adtinet ad priora verba, quæ in omnibus editionibus invariata leguntur, resp., neque sequendo probabiliorem opinionem periculum violandi legem evitari; quum æque ignoretur, sit, necne reapse vera probabi-

(a) Innoc. XI. die 2. Mart. 1679.

bilior, ac ignoratur, sit, necne reapse vera minus probabilis: ergo ut periculum violandi legem, quod semper imminet, arceatur, non satis est nobis sequi probabiliorem opinionem, sed sequi tutiorem debemus: ergo è suo Probabiliorismo in Tutiorismum Gazzaniga dilabitur.

256. Crede mihi: simul ac ignoratio veri nec vitari, nec vitio verti posse dicitur, operans sub illa ignoratione ne probabili quidem periculo violandi legem se exponit; quum certissimum sit, neminem sub invincibili obligationis ignorantiâ peccare, dicente S.Tho.(*a*) *Ignorantiâ, quæ sit omnino involuntaria, non est peccatum. Hoc est, quod Augustinus dicit: Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras, sed si scire neglexeris*. Et postea (*b*): *Si vere ignorantiâ est involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod scire non tenetur, talis ignorantiâ omnino excusat à peccato*. Quam S. S. Aug. & Tho. doctrinam Greg. XIII., & Alex VIII., supra citati, decretis suis confirmarunt.

257. Eamdemque exemplo comprobat Cæsar Baron., hæc scribens (*c*). *At dicet aliquis: Si Schismatici erant hi* (Monachi Cassinenses, quum Anacl. II. Pseudo = Pontificis partes se-

(*a*) S. Tho. 1. 2. qu. 6. art. 8.
(*b*) Idem ibi qu. 76. art. 3.
(*c*) Baron. ad an. 1136.

Digitized by Google

sectabantur) *quomodo miraculo illo apertæ sunt eis spontanee fores Ecclesiæ ? Dicam breviter : non simul ac Abbas , vel Episcopus aliquis schismaticus est , necesse est , omnes sibi subditos pariter esse schismaticos , sed illos tantum , qui certo sciunt , suum errare Præsulem ; cæteros autem non peccare , qui persuasibilibus rationibus putant , ipsum rectà incedere vià , & se verum sequi Pastorem , nec tanta inest ipsis doctrina , vel adeo explorata rerum gestarum cognitio , nec facultas exquirendi , cujus potiora sint jura , hosque suâ ipsorum bonâ conscientiâ reddi crimine liberos : Sicut & tunc evenisse putamus , nimirum quod etsi Abbas , & ex Præfectis aliquis apud Deum , & ejus Ecclesiam rei fuerint patrati criminis : simplices tamen his subditi bona fide , & conscientiâ purâ cuncta gerentes , Divinis tantum rebus vacantes , omnis curiositatis expertes , nullo modo , ut Canones docent , rei fuerint tanti criminis .*

258. Neque ludentis, aut venantis exempla quidpiam evincunt : quippe nec lusor solide probabilem opinionem habet non perdendi pecuniam, dum ludit, nec venator, dum globulum explodit, hominem non occidendi ; ac neuter eorum judicium reflexum certum efformare potest, vi cujus ab altero perdendi pecuniam, ab altero hominem interficiendi periculum arceatur ; quum pecuniæ jactura non

Digitized by Google

à ludentis existimatione, sed ab aleæ jactu dependeat; & homicidium, si homo erat, quod movebatur in dumeto, globuli explosione causetur, quidquid venator judicaverit. E contrario operans juxta minus, solide tamen probabilem opinionem, & prudenter actionem prohibitam non esse censet, & judicio reflexo, licite actionem illam poni posse, sibi certo persuadet, quo omne prorsus peccandi periculum amovetur.

259. Tertia ratio: certum est, hominis voluntatem sui juris esse, ac naturali ejus dominio tum rerum usum, tum reliquarum facultatum actus subesse, eidemque leges superimpositas, aut superinjecta fuisse ligamina, quibus dominium illud coerceretur, dirigeretur, in officio contineretur. Sic *Deus* in Div. Litter. (*a*) dicitur *ab initio constituisse hominem, & reliquisse illum in manu consilii sui; adjecisse mandata, & præcepta sua*, & ad hominem conversus dixisse: *Si volueris mandata servare, conservabunt te*: ergo prius intelligitur homo liber, quum obligatus.

260. Prius inquam, licet enim omnes cum S. Tho. (*b*) Divin. legem æternam profiteamur; & licet aliquam ipsius legis promulgationem cum eodem S. Tho. (*c*) pariter dicamus æternam;

(*a*) Eccl. cap. 15.
(*b*) S. Tho. 1. 2. qu. 91. art. 1.
(*c*) Idem ibi ad 2.

Digitized by Google

nam; tamen ut lex quævis *virtutem obligandi obtineat* (ejusdem S. Doct. verba sunt (*a*) *oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione*: unde ipsemet S. Tho. animadvertit (*b*), promulgationem illam, sine qua lex hominem obligare nequit, respectu hominis audientis, & inspicientis esse æternam non posse.

261. Iterum dico, prius liber homo intelligitur, quam obligatus, si quidem naturâ liber est, obligatus vero non nisi superveniente legis notitiâ: ergo donec legis notitia superveniat, homo intelligitur in certa possessione suæ libertatis: ergo ut de certa libertatis suæ possessione deturbetur, & lege ad operationem ligetur, non satis est probabilis, aut probabilior legis opinio, quum lex incerta certæ libertatis possessioni prævalere non possit.

262. Ubi primum autem certa cujuscumque legis, actionem hanc, vel illam prohibentis, vel præcipientis, notitia habetur, aut culpabilis ignorantia, homo libertatem, qua gaudebat, amittit; & lex, quæ obligare tunc incipit, perstat deinceps in possessione obligandi, ita ut nulla, sive minor, sive etiam major (& nota bene) sive etiam major ir-

(*a*) Idem ibi qu. 90. art. 4.
(*b*) Idem in cit. resp. ad 2.

rectitudinis legis probabilitas, aut culpabilis error subditum eximat ab obligatione parendi. In dubio quippe, & culpabili errore de legis, certo existentis, inutilitate, superfluitate, seu irrectitudine, tum rectitudinis præsumptio, tum obligandi possessio stant pro lege, & pro Legislatore. Hac superre nu. 403. & seqq. verba fient.

263. Idem S. Doct. Angel. (*a*) proposita quæst.: *Num conscientia liget?* respondet: *Dicendum, quod conscientia proculdubio ligat. Ad videndum quomodo liget, sciendum, quod ligatio, metaphorice à corporalibus ad spiritualia sumpta, necessitatis impositionem importat. Ille enim, qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco, ubi ligatus est, & aufertur ei potestas ad alia divertendi... Sicut in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum, ita in spiritualibus præceptum non ligat, nisi per scientiam.*

264. Sicut igitur in corporalibus qui vinculis ligatur, antequam ligaretur, potestate aliò divertendi gaudebat, ita in spiritualibus, qui ligatur legis notitià, antequam ligaretur, licite, ac impune operari illùd poterat, quod licite, ac impune operari nequit, postquam habuit legis notitiam: ergo prius homo intelligitur liber, quam obstrictus legis obligatione: ergo ut à libertatis certa possessione de-

(*a*) S. Tho. qu. 17. de verit. ar. 3.

deturbetur, certa præcepti notitia, sive, ut S. Tho. dixit, *scientia* requiritur, quin opinio præcepti sive probabilis, sive probabilior, utpote incerta, satis sit.

265. Præclare Joan. à S. Tho. (a) *Si, factâ sufficienti diligentiâ, non constat, andetur lex aliqua, non obligat lex, quia in dubio andetur, vel non detur, reputandum est, quod non detur, eo quod lex est gravamen, quod imponitur inferiori, & quasi in servitutem, & obedientiam redigens: in dubio autem servitutis, aut gravaminis possidet quis libertatem suam.*

266. Respondet Cl. Gazzaniga num. 78. cum Probabilioristis, quibus hac in parte aliqui Probabilistæ consentiunt, eam argumentationem, utpote innixam Regulæ Juris *In dubio melior est conditio possidentis*, solummodo in rebus ad Justitiam pertinentibus, de quibus agit Juris Regula, locum habere.

267. Egregie Suarezius (b): *Respondent*, ait, *principium illud = In dubiis melior est conditio possiden. = habere locum in materia Justitiæ, non* [illegible] *rum virtutum. Sed hoc gratis dicitur* 1. *quia Jura, ex quibus Regula illa sumitur, generatim, & sine restrictione loquuntur, ut in Cap. In pari 65. de Regul. Jur. in 6. absolute dicitur = In quacumque causa præferri jus possidentis =* 2. *quia nulla ratio differentiæ*

(a) Joan. a S. Tho. disp. 12. ar. 2. nu. 20., & sequen.

(b) Suar. tom. 2. de Relig. trac. 6. lib. 4. cap. 5. num. 7.

tiæ assignatur, nec assignari posse videtur, quod in hunc modum declaro &c. fidemque liberat, ac promissam declarationem ita (*a*) persequitur, ut rem plane demonstret. Similemque doctrinam tradidit in Tract. de Censuris, quam supra num. 227. retulimus.

268. Ac porro ut ponens actionem, quam probabiliter judicat lege non prohiberi, fortasse ponit actionem vere prohibitam, & materialiter legem prohibentem transgreditur, si nempe illa probabilis sua opinio, qua actionem lege non prohiberi judicat, falsa re vera sit; ita retinens penes se veluti suam rem, quam post diligentem veritatis indagationem prudenter judicat esse suam, fortassis rem vere alienam retinet, & quodammodo transgreditur Justitiæ legem, si nempe prudens illa sua existimatio, qua rem judicat esse suam, falsa re vera sit. Atqui respectu istius, fatentibus Probabilioristis, tenet illa Regula: *In dubio melior est conditio possidentis*, nec vitio verti potest eidem, si rem retineat, quam prudenter judicat esse suam: quia nempe ut S. August. (*b*), ait, & habetur in Jure (*c*) quando, adhibitâ prudenti diligentiâ, prudenter quis judicat, rem non alienam esse, sed suam,

(*a*) Idem ibi à nu. 7. ad 13.
(*b*) S. Aug. in lib. de fide, & oper. cap. 7.
(*c*) Par. 2. Decr. Cau. 34. qu. 2. cap. 5.

suam , ipsa possessio certum ei dat jus rem sibi retinendi , donec alienam esse constet certa ratione , vel sententiâ Judicis . Ergo similiter respectu alterius tenebit illa Regula , nec illi poterit vitio verti , si actionem ponat , quam probabiliter non esse prohibitam arbitratur : & ipsa libertatis possessio certum illi jus dabit actionem illam pro libito ponendi , donec esse prohibitam sibi constet certa ratione , vel definitione Ecclesiæ .

Digitized by Google

§. III.

Respondetur Probabilioristis.

269. **O**Bjiciunt I.: hominibus in Sac. Scripturis (*a*) iterum iterumque præcipitur, ut *ex toto corde*, *ex tota anima* Div. mandata custodiant, eosdemque alloquens Paul. (*b*) ait *ab omni specie mali abstinete vos*: atqui operans juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam, *ex toto corde*, *ex tota anima* Dei mandata non custodit, nec *abstinet ab omni specie mali*: ergo ille contra ac Div. Scripturæ præcipiunt, operatur. Probat. min. qui potens adhibere media utiliora, & securiora, minus secura, seu utilia adhibet, is finem impense, ac sollicite non procurat: ergo qui potens sequi probabiliorem, tutioremque opinionem, minus probabilem, ac tutam operando sectatur, is certe impense, sollicite *ex toto corde*, *ex tota anima* Dei mandata non adimplet.

270. Resp. nego min., & ant. probat. Etenim S. Tho. doctore (*c*), qui serio, & ex animo consilium init, aut efficaciter intendit finem aliquem obtinere, hoc ipso obligatur, seu *necessitatur* ad mediorum applicationem; qui

(*a*) Deut. cap. 26., Psal. 118., Prov. cap. 7.
(*b*) Apost. 1. ad Thesal. cap. 5.
(*c*) S. Tho. 1. 2. qu. 13. ar. 6.

qui enim potens medium aliquod sufficiens ad finem adhibere, nullum adhibet, is certe finem efficaciter, & impense non velle convincitur. Quum vero plurima suppetunt particularia media, quorum quodlibet ad finem obtinendum sufficiens est, tunc sane *non omne, quod est ad finem, tale est, quod sine eo finis haberi non possit*: sed finem habebis, hoc, vel illo medio, quod volueris, applicato, tametsi reliqua prætermiseris, & *ideo* tunc *homo de his, quæ sunt ad finem, non ex necessitate, sed libere eligit*.

271. Locus est igitur electioni, quum plura sunt ad finem media, & unumquodque sufficiens, quantumvis sint inæqualia, & alia aliis securiora, vel utiliora: namque ferme contingit, ut media minus secura, vel utilia, utilia tamen, secura, & sufficientia, *aliquam conditionem* præ se ferant, *per quam*, quod minus utile, aut securum est, *emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum, quam in aliud*, puta, quia minus securum, vel utile, sufficiens tamen, facilius, atque commodius peragi potest.

272. Ex. gr. remeare in patriam constituis, idque consilii ut exequaris, necesse est vel pedester eas, vel rheda, vel equo, penes te electio est; potis es pro arbitrio eligere, aut ire pedestrem, quia quamvis incommodissimum iter, minori tamen sumptu illo pa-

cto

Digitized by Google

cto peragitur; aut equo, quia equo citius, quam rhedâ, licet minus commode ad patriam appellitur; aut tandem rhedâ, quia rhedâ commodius itur, quam equo, tametsi lentius; ergo quum plura sunt ad eumdem finem media & ita unumquodque sufficit, ut unum alteri in una ratione præcellat, & in altera ab ipso superetur, locus est electioni, potestque voluntas è diversis illis rationibus, quibus prædicta media invicem superant, & superantur, quam maluerit, præferre.

273. Hac S. Tho. doctrina bene imbutus Joan. à S. Tho. (a) scite animadvertit: *Non teneri aliquem sequi quod prudentius apparet, neque ex parte rei cognitæ, aut volitæ; neque ex parte modi cognoscendi . . . . neque ex parte melioris medii ad aliquem finem, quia potest eligi medium sufficiens, & utile, nec tenetur semper eligere utilissimum, & optimum; neque ex parte directionis, quia non tenetur quis esse prudentissimus.*

274. Itaque voces illæ *ex toto corde, ex tota anima*, & similes nequaquam denotant summum nisum, atque conatum voluntatis, summam mentis diligentiam, & sollicitudinem adhiberi ad præceptorum observantiam debere; sed tantummodo indicant eam Div. præcepti, utique sufficienter promulgati, & propositi, quibuscumque rebus antepositionem,

(a) Joan. à S. Tho. in 2. qu. 18. dist. 12. ar. 3.

nem, qua animo comparati simus aliam omnem quamcumque rem, utilitatem, aut commodum amittere, ne Dei præceptum transgrediamur: quemadmodum T. T. omnes, quum præceptum charitatis exponunt, easdem illas voces interpretantur.

275. Sicut ergo non summa necessaria est, sed satis est prudens, in præceptorum observantia voluntatis diligentia, & conatus, ne peccetur; ita summa præceptum non transgrediendi securitas necessaria, ne peccetur, non est, sed satis est prudens securitas, nec alia sane exigi ab hominibus potest: hanc autem prudentem securitatem in reflexo suo, certoque judicio jam habet, qui opinionem solide probabilem sequitur; neque unquam, eum prudenti illa securitate carere, aut è Div. Litteris, aut aliunde deduci poterit.

276. Quodsi tandem prudens securitas, ac mediocris satis non esset, sed quam majorem assequi possemus, illa verba *ex toto corde*, *ex tota anima* requiri significarent; etiam quum probabilior est opinio minus tuta, & tutior minus probabilis, ista, utpote tutior illâ, necessario esset anteferenda, & nemo, potens tutiorem minus probabilem amplecti, sicque majorem non transgrediendi præceptum securitatem adipisci, licite minus tutam probabiliorem amplecteretur: atque en ut de suo adversarii Probabiliorismo iterum in Tutiorismum concedunt.

277. Obji-

277. Objiciunt 2. è S. S. P. P. 1.° S. August., contra Donatistas scribens (*a*) eum, ait, *qui in parte Donati Baptism. susciperet, etiamsi dubium haberet, non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccare in rebus, ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret*. Et postea (*b*): *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum?* Idem S. Doct. (*c*) affirmat: *Viros justos vigiliis continuis excubare, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur*.

278. 2.° S. Leo Mag. (*d*) *magni laboris esse*, monet, *magnique discriminis inter duas imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates per veram sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare, & quum se laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere*. Denique S. Greg. Mag. dicit (*e*) *justos, in ipsis bonis operibus positos, trepidare, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis la-*

(*a*) S. Aug. lib. I. de Bapt. contra Donat. cap. 3.
(*b*) Idem ibi cap. 5.
(*c*) Idem lib. 22. de Civit. cap. 23.
(*d*) S. Leo serm. 5. de Nativ. cap. 5.
(*e*) S. Greg. lib. 5. Moral. cap. 7.

Digitized by Google

lamentis vacare : atqui hæc , & similia alia plurima S. S. Patrum documenta prætensam Probabilistarum securitatem prorsus infringunt: ergo istorum opinio illorum placitis adversatur. Ita Recent. in prima edit. Vien., in secunda autem Veneta, cui altera Bonon. consonat, solâ S. August. sententiâ, è lib. contra Donat. deprompıâ, contentus est num. 56.

279. Resp. nego min.; namque vere nullus S. S. Patrum illis, similibusve documentis Probabilistarum securitatem infirmat. Non S. August.: numquam enim Probabilistæ in dubiis illi similibus, de quo August. contra Donat. agebat, securitatem ullam dubitanti spoponderunt. Dubium, de quo Aug. ibi, non utramque Catholicorum, & Donatistarum partem respiciebat, non dubitabatur tunc temporis, utra in parte Baptismus licite susciperetur, quum licite Baptismum suscipi, à Ministro Catholico administratum, non mere probabile, aut probabilius, sed certissimum, & extra omnem controversiam esset apud omnes: solummodo dubitabatur, liceretne etiam in parte Donati, seu à Ministro Donatista Baptismum suscipere; & in ea dubitatione optimo quidem jure Aug. decidit, non licere.

280. Etenim Baptismum in parte Donati suscipiens, non probabile probabiliori, sed incertum certo anteponebat, neque efforma-

re

re poterat prudens certum reflexum judicium, quo licere illud sibi censeret; quandoquidem dubium inter solide probabilia nequaquam versabatur, & qua parte dubitans, Baptismum à Ministro Donatista suscipere licitum esse cogitabat, nullo solidarum rationum momento suam opinionem fulciebat; ipsaque ejus incertitudo, vitio non carebat, quum facile ipse posset, ac deberet dubitationem abjicere, atque Baptismi, hæretico ministrante, susceptionem, quam Ecclesia Cathol. semper reprobavit, certo illicitam existimare.

281. Neque alterum S. Aug. effatum, eique consonans S. Greg. sententia Probabilistarum securitatem enervant: uterque enim ad illud Apost. (a) monitum alludebat: *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*: Perpendenda scilicet sunt opinionum fundamenta, non cito, ac levi corde cuicumque credendum, nec nisi solide probabilibus opinionibus vitæ nostræ rationes conformandæ, prout utraque pagina tradunt, & inculcant cum Apost. Probabilistæ.

282. Et quamvis uterque S. Doct., accuratam pro uniuscujusque modulo, atque prudentem sententiarum, ac momentorum considerationem commendantes, S. S. hominum exem-

(a) Apost. ad Ephes. cap. 4.

exempla memoraverint, *qui continuis vigiliis excubant*, ne unquam verisimilitudinibus decipiantur; qui jugi trepidant metu delinquendi, & ne à recto aberrent, *continuis lamentis vacant*: hæc profecto nec August., nec Greg. instar præcepti proposuerunt, sed solummodo, ut maxima, & præstantissima S. S. hominum sedulitate ob oculos posità, saltem mediocrem aliis, sive prudentem persuaderent. Ac porro illas S. S. vigilias, & excubias, & sollicitudines, & lamentationes omnibus districto præcepto injunctas asserere solius Jansenii est, ejusque sectatorum, non Greg., nec Augustini.

283. Denique S. Leo tantum ait difficillimum juxta ac periculossimum esse, *dubias imperitorum opiniones* sectando per veram sanæ doctrinæ semitam ambulare: difficile autem, aut periculosum esse per veram sanæ doctrinæ semitam ambulare, solide probabiles Sapientissimi. hominum opiniones sectando, numquam Leo Mag. adseruit. Quis autem nesciat, Probabilistas non dubias imperitorum, sed solide probabiles peritissimorum hominum opiniones usui permittere?

284. Instat Cl. Prælector in edit. Bonon., ubi in nota, quam num. 50. adjungit, non jam unum, vel alterum, sed omnes undecim priorum Ecclesiæ sæculorum P. P. nobis objicit in globo. En tibi verba: *Confer*, inquit, *Petr.*

Petr. Ballerinum Prælect. 2. in S. Anton. cap. 2., & Joan. Morinum lib. 1. de Pœnit. cap. 5., ubi obſervat, undecim prioribus Eccleſiæ ſæculis S. S. Patres in eo ſtudio ſe tantum exercuiſſe, ut Sacerdotes docerent, in caſu dubio ſemper eſſe tutiorem partem eligendam. Facile autem eſſet oſtendere, hanc regulam etiam à Scholaſticis communiter probatam fuiſſe, nec ullum de re dubium excitatum ante Probabiliſmi tempora.

285. Contuli ego quidem hanc notam cum Concinæ placitis, & plane reperi Concinianam: ſunt tamen mihi, quas doctiſſimo Prælectori proponam, quæſtiunculæ nonnullæ. Quæro 1.° utrum Antiqui illi P. P. reliqua Sacerdotalia, & Epiſcopalia munia non curaverint, ut ſe *tantum* exercerent in eo ſtudio docendi Sacerdotes, in caſu dubio ſemper eſſe tutiorem partem eligendam? & Prælectorem oro, ut in altera futura Operum edit. adverbium illud *tantum* pro rei veritate, & bona P. P. exiſtimatione deleatur. Quæro 2.° Si *ſemper* in caſu dubio eligi pars tutior debebat, quid undecim illis ſæc. P. P. egerunt, aut agendum eſſe docuerunt in caſu dubio, in quo pars minus tuta erat probabilior, quod ſæpe contigiſſe, nemo non videt? Porro ſi ſemper in caſu dubio pars tutior eligenda erat, etiam tum eligi debebat pars tutior, & minus tuta probabilior contemni, quod purus putus eſt Tutioriſmus: Rurſus igitur oro, ut adverbium

bium *semper* quoque deleatur, ne videatur Ecclesia damnans Tutiorismum, undecim Sæculorum P. P. damnare.

286. Quæro 3.° si facile est ostendere, cur non ostenditur, illam Regulam, *in casu dubio semper eligendam esse tutiorem partem*, communem Scolasticis quoque fuisse ante epocam Probabilismi? Ast inquiet Prælector, ostensum jam istud esse a cit. Ballerino, & Morino, atque in ipsamet Prælectione: sed pari ego jure reponam, contrarium à Terillo, aliisque plurimis esse demonstratum, atque hac ipsa Dissertatione ostensum. Quæro 4.° Num Probabiliorismus in illis scholasticis, qui Probabilissmi epocam præcesserunt, extiterit? Ratio dubitandi est, quia Probabilismi parens dicitur Medina Dominicanus sub finem Sæc. XVI. Parens vero Probabiliorismi dicitur Comitolus Jesuita sub initium Sæculi XVII.: ergo Probabilismus Probabiliorismo fuit paulisper antiquior: ergo antiquiores Probabilismo, imbui Probabiliorismo nequiverunt. Ad hæc Prælector dicet, & P. P. & T. T. ante Sæc. XVI. fuisse Probabilioristas sin minus nomine, re tamen: Cui jam ego doctrinam, illis impactam, eosdem prodere dixi Tutioristas: ac deinde pariter aio, & P. P. & T. T. ante Sæc. XVI. fuisse Probabilistas sin minus nomine, re tamen: illa igitur nota Prælectoris rem integram reliquit: & utrisque nostrum

onus incumbit adsertum comprobandi, nisi Prælector arrogare sibi velit Pythagoricum: *Ipse dixit*.

287. Postremo ad totam Cl. Recent. notam resp. cum S. Tho. (*a*), quem centum Morinis, Ballerinisque præferre debet Gazzaniga, nec ante, nec post epocam Probabilismi fuisse, vel esse licitum operari, nisi quod tutius est in casu dubio, id est, quamdiu permanet dubium, sive, ut verbis utar. S. Doct. *permanente dubitatione*; quandocumque vero *ex contrarietate opinionum* (vi reflexi judicii) *nulla remanet dubitatio*, *nemo se committit discrimini*, *nec peccat*, quamvis partem minus tutam solide tamen probabilem amplectatur: idque omni tempore verum est, & fuit, & futurum est.

288. Objiciunt 3. è Summ. Pontificibus: *Innoc. XI.* (*b*) *hanc ordine* 4. *propos. damnavit* = *Ab omni infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili* = *Et re ipsa qui damnatam illam propositionem docebant, non alio principio utebantur, quam systemate Probabilistico, teste P. Viva: quia nempe prudenter operatur, quicumque accommodat se opinioni probabili etiam in conflictu probabilioris oppositæ: atque adeo sicut non peccat in aliis humanis actionibus, qui sequitur opi-*

(*a*) S. Tho. quoad lib. 8. ar. 13.
(*b*) Innoc. XI. die 2. Mar. 1679.

opinionem minus probabilem , ita nec peccat infidelis , si ductus opinione probabili , non deserat sectam suam .

289. *Item* (pergit Recent.) *Clem. V. & duo Bened. XIII. , & XIV. , Primus in quæst. exorta , an pueris in Bapt. gratia habitualis infundatur , sententiam affirmantem tamquam probabiliorem , Sac. approbante Conc. Vien., eligendam edixit . Secundus in Conc. Rom. casus à Præfecto Congreg. definiendos esse mandavit eis doctrinis , quas veriores , magisque fundatas judicabit . Tertius demum eadem fere verba habet in sua Encyclica an.* 1749. Hæc Cl. Gazzaniga in prima edit. pag. 545. , & 546. , pag. autem 532. præmiserat ex Card. Petra : *Summor. Pont. semper fuit veluti quoddam axioma : In dubiis via est tutior eligenda : & quod certius existimamus , tenere debemus .* Quæ quidem in secunda edit. num. 42. 45. summatim perstrinxit , nec prætermisit in postrema Bonon.

290. Resp. ad 1.um illius 4. propos. assertores usos quidem fuisse Probabilistico systemate , sinistre tamen usurpato , sive potius abusos illo fuisse , atque præjactum principium ea universalitate accepisse , qua à genuini , verique Probabilismi propugnatoribus etiam ante proposit. damnationem , ut num. 139. cum Thyrso dixi , refellebatur . Qua ratione igitur damnatæ propos. adsertores principium

 il-

illud usurpabant, principium probabilisticum dici non debet, quum apud sinceri Probabilismi defensores eo tantum sensu instar principii constabilitum semper fuerit, quo extendi ad infidelem non potest, utpote cui neque religio sua solide, ac vere probabilis est, neque nostræ Religionis incertitudo invincibilis, prout idem cit. Domin. Viva (a) exponit, & illustrat.

291. Clem. V., & Bened. XIII. scita nil adferunt nocumenti Probabilismo. P. P. enim in Conciliis, & Prælatos in Congreg. Rom. Judicum personas sustinere, compertum est; Judices vero, quum certa non inveniunt, quæ probabiliora censent, pronunciare debere, Probabilistæ quoque cum eodem Viva (b) indubitanter affirmant.

292. In Encyclica vero Bened. XIV., non Judices, sed T. T. alloquentis, neque illa Bened. XIII. verba *eis doctrinis, quas veriores, magisque fundatas judicabit*, neque eis æquivalentia leguntur, sed hæc alia scitu dignissima: *Ab extremis, quæ semper vitiosa sunt*, *longe* (Theologi) *abstineant*; *suisque privatis opinionibus ne nimis adhæreant*; *sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur*; *deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas*

(a) Viva in expos. 4. propost. damn. ab Inn. XI.
(b) Idem in expos. 2. propos. damn. ab eod.

tas intelligent; ubi Gazzaniga delendum adverbium *plane*, & substituendum adverbium *magis* putavit contra mentem Bened., qui adverbium *magis* Scriptorum celebritati applicuit, *plane* vero, & non *magis* soliditati sententiarum.

293. *Quod si disputatio insurgat* (pergit Bened.) *dum contractus aliquis in examen adducitur*; *nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam adserant*; *si præsertim ratione, & præstantium virorum testimoniis minime careat* (non ait *si magis* abundet; sed *si minime careat*) *siquidem convitia, atque injuriæ vinculum Charitatis Christianæ infringunt, & gravissimam populo offensionem, & scandalum præseferunt*.

294. Denique Card. Petra (*a*) post allegata verba hæc alia superaddidit. *Stilum procedendi, quem sequitur Sacr.Pœnitentiariæ Officium, complectuntur quoque quælibet Tribunalia majora Urbis, atque consuetudini inhærent Sum. Pontifices, qui semper in certiorem partem confugere solent, quotiescumque intercedit aliquod salutis periculum*. Unde Probabilistæ inferre jure, ac merito possunt, licere cuivis juxta temperatum, suisque limitibus circumscriptum Probabilismum operari, quum nullum inde, ut

 ipsi-

(*a*) Card. Petra cap. *9*. *De Sac. Apost. Pœnitentiaria* nu. *6*.

ipsimet probant invicte, salutis periculum suboriatur. Si quis autem pleniorem rei istius dilucidationem exoptet, apud Jos. Mar. Gravinam (a) pro votis inveniet.

295. Objiciunt 4. ex Jure Can. Probabilioristæ, & una cum eis Gazzaniga num. 45. Cap. *Significasti* de homic. : *Quum dubium ortum esset, an fur, quem Sacerdos una cum aliis percuserat, ex ictu à Sacerdote inflicto, vel ex aliorum vulneribus interierit, Innoc.III. ita decrevit = In hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, & si forte homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet; quum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare*. Item eod. tit. cap. *Petitio tua* 24. declaratur, debuisse Clericum in dubio irregularitatis à Sacris abstinere, *quum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare*.

296. Præterea juxta ea, quæ Cap. *Ad Audientiam* 12. eod. tit. de homic., Cap. *Juvenis* de spons., Cap. *Si quis autem positus* de pœnit. qu. 3. d. 7., & alibi passim traduntur, firmum, & inconcussum in Jure Can. est *In dubio viam tutiorem esse eligendam: partem securiorem esse tenendam: semitam debere eligi tutiorem*. Ac demum Clem. V. in Bulla *Exivit de paradiso*, quum quæstio mota esset, & ad ip-

(a) Jos. Mar. Gravina Trattenim.apol.sul Probab. par.2. à nu. 502. ad 522.

ipsum delata, *an* scilicet *F. F. Minores teneantur sub præcepto mortalis peccati ad ea observanda, quæ in Regula verbo imperativi modi, negative, vel affirmative apposito inseruntur*, ad eam dirimendam utitur consueta Regula, *& Nos itaque*, inquit, *attendentes, quod in his, quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda, dicimus &c.*

297. Resp., & eumdem sermonem repetens, dico, illo argumentationis genere in luctuosissimam animarum perniciem Tutiorismum invehi. Si enim pars tutior in dubiis semper est eligenda, & dubium adest, quotiescumque certitudo directis opinionibus deest; numquam licebit partem minus tutam eligere, tametsi hæc tutiore sit probabilior; quum etiam tunc certitudo desit, & intra meræ probabilitatis terminos utraque opinio, & probabilis, & probabilior contineatur.

298. Deinde ad textus, in quibus de homicida agebatur, resp. dubium illud dubium fuisse facti, non juris; dubitabatur enim an irregularitas, aut suspensio contracta fuisset re vera, quod quidem non à certa facti memoria, vel notitia dependebat: & quum fieri quam facillime posset, ut factum, cui adnexa irregularitas, vel suspensio est, vere extitisset, quamvis postea de illius facti, seu homicidii existentia dubitaretur; idcirco in illis

Canon. decernebatur, ut qui dubitat, an irregularis sit, vel suspensus, veluti suspensus, & irregularis se gerat.

299. E contrario in præsenti quæst. dubium non est facti, sed juris, dubitatur enim an circa hanc, vel illam actionem jus existat, aut lex, illam prohibens, vel præcipiens; quum autem de jure ipso, vel lege dubitatur, nulla, ob sæpe dicta, obligatio suboritur: quare licet in dubio facti, quod tutius est, sequi debeamus, sequi illud non debemus in dubio legis, sed licitum nobis tunc est utrumlibet operari.

300. Quod Clem. V. textum spectat, in F. F. Minorum controversia eorum alii adserebant, omnia, quæ in Regulis verbo imperativi modi præscribuntur, obligare sub gravi: alii non omnia, sed aliqua tantum, puta, quæ votorum materiam concernebant; & se ajebant ad silentium ex. gr., quamvis Regulâ imperativo modo præscriptum, sub gravi non teneri.

301. Utraque sententia ante Pont. definitionem probabilis quidem, vel æque, vel altera magis, altera minus, prout malueris, censebatur, neutra omnino certa, quum utraque, utpote mere probabilis, prudentem errandi formidinem præseferret. Prima, quæ stabat pro lege, tutior erat, atque severior; secunda minus tuta, & benigna, utpote favens libertati. Post

de-

definitionem autem Pontificis secunda benigna certissima, & unice secura evasit; prima severa omnem probabilitatem quoad praxim amisit: respondit enim Pontifex, non ad omnia, sed ad aliqua eorum, quæ modi imperativi verbis in Regula enunciantur, F. F. sub gravi obligari: quæ decisio pro benigna sententia fuit, contraque severam, & tutiorem.

302. Clem. igitur, inquiens in Bullæ exordio: *Attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, pars securior est tenenda* nullatenus significavit, semper ab hominibus in re morali tenendam esse partem è solide probabilibus securiorem, quum tum contrarium præstaret, seque ad illam sententiam definiendam accingeret, quæ minus tuta reputabatur, & erat: sed solummodo illa præmisit, ut ostenderet velle se omnem controversiam recidere, ac singillatim declarare, quænam, ex præscriptis in Regula modo imperativo, gravem obligationem inducerent; quænam vero non ita, ut eo pacto via Fratribus definiretur, qua secure, & absque ulla hæsitatione possent procedere.

303. Definitio igitur Pontificia, quæstionem dirimens, Probabilismum nullatenus labefactavit, sed tantum materiam diminuit, circa quam ille versari poterat: quum enim opinio benigna Clem. definitione evaserit omnino certa, & altera contraria improbabilis;

utra-

Digitized by Google

utraque mansit extra orbitam Probabilismi, qui de opinionibus non certis, sed tantum probabilibus agit. Vide Esparzam, perspicue hunc, & singulos alios textus exponentem (*a*).

304. Audi vero Sapientiss. Virum, & Juris pertissimum Thomam Sanchez, qui (*b*) Sacror. Canon. hac in parte sensum exponit, inquiens: *In dubiis esse amplectendum, quod tutius est, & in quo nullum peccati periculum versatur, intelligi debet de dubio practico, & tum non est consilium, sed vere præceptum, ut docent Silvest. ver. Dubium qu.* 2. §. 4., *Navarr. Cap. Si quis autem De pœnit. dist.* 7. *num.* 42., *Corduba lib.* 2. *Quæstionar. qu.* 3. *propos.* 3. *Exemplum sit: dubitas practice an hic, & nunc tenearis jejunare: teneris, dum id dubium non deponitur, quia alias actus fieret cum conscientia practice dubia.*

305. *Dixi autem in dubiis, quando scilicet vere dubium est, intellectu neutri parti adhærente; secus autem est, quando probabiliter opinatur alteram partem minus tutam, tunc enim potest eam amplecti; & in hoc sensu tantum consilii est amplecti id, quod tutius est. Sic docent S. Antonin.* 1. *par. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *col.* 7. *versu Pro cujus enodatione*, *An-*

(*a*) Esparza in append. ad qu. 23. par. 3. à nu. 170. ad 186.

(*b*) Tho. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 41. qu. 1. nu. 9.

Angelus verbo Opinio num. 2., Silvest. qu. 1. in fine, Navarr. Cap. Consideret in princ. de pœnit. dist. 5. num. 38., Gutierr. Quæst. Canonic. lib. 1. cap. 31. nu. 41., Henriq. alios referens lib. 14. de irregul. cap. 3. nu. 4. fine, Et confert ad hoc opinio probabilissima multorum, asserens ex duabus opinionibus probabilibus fas esse minus probabilem eligere.

306. Quodsi Thom. Sanchez audire detrectaveris, audi, obsecro, Præstantiss. Ord. S. Dominici Scriptores, domesticos, familiares, S. Raym. de Pennafort, B. Albert Mag., S. Thom., S. Antonin., quorum verba supra retulimus à nu. 228. ad 237.: audi Sotum (*a*), dicentem: *Quando sunt opiniones probabiles inter Doctores, utramlibet sequaris, in tuto habes conscentiam*, & Doctiss. Bancel, qui apud Liguor. (*b*): *multa sunt*, ait, *quæ tutius est facere, & simul etiam tutius est non se credere obligatum ad illa facienda, nisi moraliter constet de tali obligatione*; quæ quidem verba mirum quantum claritatis, aut luminis adferant nostræ controversiæ; Silvest. item Prieras, Mag. Sac. Pal. qui (*c*) rem exemplo confirmavit, inquiens: *Licet sit tutius statim confiteri, quam differre, non tamen est tutius tenere, quod sic obligeris*: & Petr. de Lorca Ci-

(*a*) Sot. de Just. & Jure qu. 1. ar. 6.,
(*b*) Liguor. in respons. apolog. ad litt. cujusd. Religiosi.
(*c*) Silves. ver *Confessio* qu. 2. nu. 4.

Cisterc., cujus sententia est (*a*): *Non esse discrimen ullum alicujus momenti, quantum ad securitatem conscientiæ, inter opinionem probabiliorem, & minus probabilem; dummodo utraque sit vere probabilis.*

307. Objiciunt 5., atque in nos retorquent Probabilioristæ S. S. Thomæ, & Antonini auctoritatem: S. Thom. (*b*) apud Gazzanigam num. 59. *In his*, ait, *quæ non pertinent ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt*: ergo quum exceptio firmet regulam in contrarium, in aliis, quæ fidem, & mores spectant, sive quum agitur de operationis licitudine, auditores utramque opinionem sequi absque periculo non possunt: ergo sequi debent probabiliorem.

308. Resp. S. Thom. ut supra num. 229. 230. 231. 232. 233. ostendi, apertissime Probabilismo, prout illa ferebat ætas, suffragatum fuisse, & numquam, ut ostendam modo; quidpiam Probabilismo contrarium protulisse. In quodlib. igitur 3. hanc qu. S. Doct. solvendam proposuerat: *Utrum Discipuli, sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris? Et* respondet: *Dicendum, quod diversæ opiniones Doctorum si quidem non*

(*a*) Lorca de actib. hum. disp. 39. mem. 1. prob. 1. concl. 2.

(*b*) S. Tho. quodlib. 3. ar. 10.

non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt : & addit : *In his vero, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. Alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum opiniones : . . . qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*

309. Itaque S.Tho. solummodo adserit, eum qui in rebus, ad fidem, & bonos mores pertinentibus, erroneam, aut Divin. Litteris, vel publicæ doctrinæ Ecclesiæ contrariam, opinionem sequitur, excusari non posse : atqui sequens opinionem minus, sed solide probabilem, erroneam opinionem non sequitur, multoque minus contrariam Divin. Litter., aut Eccl. doctrinæ : namque opinio erronea in his quæ ad fidem, & mores pertinent, juxta Suar. (*a*) est, quæ conclusioni certæ Theologicæ contradicit ; juxta Turrecrem (*b*), quæ veritati revelatæ opponitur ; opinio autem solide, licet minus probabilis dumtaxat opponitur opinioni improbabili, & probabiliori, non vero conclusioni Theologicæ, nec revelatæ veritati : ergo S. Tho.

(*a*) Suar. de virt. theol. disp. 19. sec. 2. nu. 14.
(*b*) Turre crem. lib. 4. in Sum. de Eccl. par. 2. cap. 8.

S. Tho. adserens excusari non posse eum, qui in rebus, ad fidem, & mores pertinentibus opinionem erroneam sequitur, minime adseruit, eum, qui minus, at solide probabilem sequitur, excusari non posse.

310. Unde optimo quidem jure V. Joan. Nider (*b*) scribit, *S. Thomas in quodlib. 3. art.* 10. *ubi dicit, quod quando diversæ opiniones D. D. Sacræ Script.* (Sacror. Interpretum) *non pertinent expresse ad fidem, & bonos mores, tunc absque periculo unam sequi possunt; ibi enim locum habet illud Apost. ad Rom.* 14.: *Unusquisque in sensu suo abundet. Et iterum de illo, qui assentit opinioni Magistrali, quæ non est manifeste contra Script. testimonium, nec contra illud, quod publice tenetur in Eccl., nequaquam hunc condemnat*: atqui actio, de cujus licitudine T. T. solidis, validisque rationibus disceptant, *expresse* vetita non est, neque verbo Dei scripto, aut publicæ Eccl. istitutioni *manifeste* contraria: ergo qui illam ponit, nequaquam hic reprehenditur a S. Thoma.

311. Objicit item nobis Prælector in nota I. ad cit. num. alium locum ex quodlib. 8. art. 13., &, ne tempus terat, ad Contenson, Concinam, & Billuart., illum adferentes, nos mittit: locus autem est iste: *Qui manente dubitatione, plures præbendas habet, pe-*

(*b*) V. Nider par. 3. timor. consc. cap. II.

periculo ſe committit, *&* *ſic proculdubio peccat*, *utpote magis amans beneficium temporale*, *quam propriam ſalutem*: ergo qui in illa, similibusque aliis quæſt. minus probabilem minusque tutam partem amplectitur, periculo peccandi ſe exponit, & peccat juxta D. Tho.

312. Reſp. S. Tho. ipſo in cit. loco mentem ſuam explicat in hunc modum: *Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum*, *ſive habeat certam fidem de contrario ejus*, *quod agit*, *ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione*. *Illud autem*, *quod agitur contra legem ſemper eſt malum*, *nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam*. *Et ſimiliter quod eſt contra conſcentiam*, *eſt malum*, *quamvis non ſit contra legem*: *quod autem neque contra conſcientiam*, *neque contra legem eſt*, *non poteſt eſſe peccatum*.

313. *Dicendum eſt ergo*, pergit S. Tho., *quod quando duæ opiniones ſunt contrariæ de eodem*, *oportet alteram eſſe veram*, *alteram falſam*. *Aut ergo ille*, *qui facit contra opinionem Magiſtrorum*, *ut*, *puta*, *habendo plures præbendas*, *facit contra veram opinionem*, *&* *ſic*, *quum faciat contra legem Dei*, *non excuſatur à peccato*, *quamvis non faciat contra conſcientiam*, *ſic enim contra legem Dei facit*. *Aut illa opinio non eſt vera*, *ſed magis contraria*, *quam iſte ſequitur*, *ita ut vere liceat habere*

bere plures præbendas: *& tunc distinguendum est*: *quia aut talis habet conscientiam de contrario*, *& sic iterum peccat*, *contra conscientiam faciens*, *quamvis non contra legem*. *Aut non habet conscientiam de contrario*, *seu certitudinem*, *sed tantum in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*; *& sic*, *si manente tali dubitatione* (nota bene) *si manente tali dubitatione*, *plures præbendas habet*, *periculo se committit*, *& sic proculdubio peccat*, *utpote magis amans beneficium temporale*, *quam propriam* (animæ) *salutem*.

314. S.Tho. igitur docet, *illud*, *quod agitur contra legem*, *semper esse malum*, quia nempe, quum opus vere est contra legem, vere materialiter malum est, neque ab hac materiali irrectitudine excusari potest, seu liberari *per hoc quod* (operans) *secundum conscientiam operatur*. Vel enim ea erronea conscientia, qua quis legem non esse credit, quum vere sit, est vincibiliter erronea, vel invincibiliter: Si vincibiliter erronea est, operans juxta conscientiam eam falsam, & contra veram legem, non modo materialis, verum etiam formalis peccati reus fit: Si est invincibiliter erronea, obnoxius quidem formali peccato non est, at est obnoxius materiali. Unde verum est, *illud quod agitur contra legem semper esse malum*, *quin per hoc*, *quod est secundum conscentiam*

(a sua

(a sua contra legem oppositione, seu materiali irrectitudine) *possit excusari*.

315. Et ratio est, quia ipso S. Tho. doctore, (*a*) *id, quod bonum est* (scilicet materialiter) *potest accipere rationem mali*; *vel id, quod est* (materialiter) *malum, rationem boni propter apprehensionem*: quandoquidem *actus humanus*, ut Ipse S. Doct. scribit (*b*), *judicatur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum, non secundum materiale objectum actus*.

316. Quamobrem in ipso loco quodlib. addidit S. Tho. inferius (*c*): *Error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi* (a formali culpa), *quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non tenetur. Et in tali, casu, quamvis factum de se* (seu materialiter) *sit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccat venialiter . . .* (adde: & judicans non peccare ne venialiter quidem, ne venialiter quidem peccat): *Quandoque vero error conscientiæ non habet vim absolvendi* (a formali culpa) *vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut quum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest*. Quod quidem

(*a*) S. Tho. 1. 2. qu. 19. ar. 5.
(*b*) Idem quodlib. 3. ar. 33.
(*c*) S. Tho. quodlib. 8. ar. 13.

apprime congruit cum dictis in Summa (*a*) videlicet: *Propter negligentiam ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, est peccatum, non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia, quum non sit voluntaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum.*

317. Certam hanc S. Tho. doctrinam confirmare juvat exemplis tum Monachorum Cassinensium apud Baron. sup. cit., tum S. Vincentii Ferrerii, ut in ejus vitæ historia perhibetur, & aliorum, qui tempore schismatis verum, bonumque reputantes, quod re vera falsum erat malumque, Pseudo = Pontificis partes sectabantur. Illi Monachi Petri Leonis, S. Vincentius Petri de Luna ad Pontificatum jura probabiliora profecto censebant, errabant tamen, & eo errore ducti, materialiter, peccabant, quin majoris probabilitatis falso judicio à materiali operandi irrectitudine liberarentur, quamvis liberarentur à formali.

318. Unde quum Probabilioristæ periculum illud peccandi tam crebro nobis obtrudunt, & inculcant, distinguere cum S. Thoma deberent periculum peccandi materialiter à periculo peccandi formaliter; & ingenue fateri, omnes, om-

(*a*) Idem 1. 2. qu. 76. ar. 2.

omnino omnes, qui juxta opinionem minus tutam, etiam probabiliorem operantur, periculo materialiter contra legem operandi se exponere, quum plane ignoretur, sitne reapse falsa, an vera illa probabilior opinio: neminem vero, etiam qui juxta opinionem minus tutam, ac solide quamvis minus probabilem operatur, sese exponere periculo formaliter peccandi; quum prudenter se gerat, & certum reflexum practicum judicium efformet de licitudine actionis.

319. Postremò S. Tho. in ipso, quem Recent. objecit, loco transitum faciens ab erronea ad conscientiam dubiam, docuit utique *periculo se exponere, & sic proculdubio peccare* eum, *qui manente dubitatione* operatur, quod minus est tutum. Id ipsum autem Probabilistæ fatentur, atque eum, qui in dubitatione, è contrarietate opinionum suborta, permanens, absque reflexo practico, certoque judicio actionem ponit, de cujus prohibitione dubitat, proculdubio formaliter peccare adseverant; & quidem formaliter etiam peccaturum adfirmant, tametsi juxta probabiliorem operaretur; quia etiàm operando juxta probabiliorem, sciens prudens propter præsens dubium se exponeret periculo peccandi.

320. Illud vero potissimum, ac primo loco in eod. num. 59. nobis opponit Gazzaniga, quod S. Tho. scripsit quodlib. 9. art. 15. *Om-*

 nis

nis quæstio, ait S. Doct.: *in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur; quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione* (de plurium simul præbendarum manutentione) *accidit.... quum inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contrarie sentire*: atqui in ejusmodi quæstionibus juxta Probabilistas error excusat *à toto*, nullumque intervenit periculum peccandi: ergo eorum sententia S. Tho. doctrinæ apertissime adversatur.

321. Resp., S. Antoninum jam olim hanc objectionem sibi solvendam proposuisse, ac solvisse (*a*): *Notandum est*, inquit, *quod dicit S. Thomas in quadam qu. de quodlibetic., quod quæstio, in qua agitur de aliquo actu, utrum sit peccatum mortale, vel non sit; nisi ad hoc auctoritas expressa Script. Sac., aut Canonis Ecclesiæ, vel evidens ratio habeatur, non nisi periculosissime determinatur. Nam si determinat, quod sit ibi mortale, & non sit, mortaliter peccabit contra faciens, quia omne, quod est contra conscientiam, ædificat ad gehennam: si autem determinatur, quod non sit mor-*

(*a*) S. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 11. §. 28.

mortale, & est, error suus non excusabit eum à mortali.

322. *Sed hoc secundum* (scilicet error suus non excusat eum a mortali) *videtur sane intelligendum, quando erraret ex crassa ignorantia, secus* (observa id accurate) *secus, si ex probabili, puta, quia consuluit peritos in tali materia, à quibus dicitur illud tale non esse mortale; videtur enim tunc in eo esse ignorantia quasi invincibilis, quæ excusat à toto. Et hoc quantum ad ea, quæ non sunt expresse contra Jus Div., vel naturale, vel contra articulos fidei, & decem præcepta, in quibus ignorans ignorabitur, ut ait Apost.*

323. Præterea S. Tho. ibi periculosam esse dixit determinationem directæ quæstionis, qua utrum duarum præbendarum retentio liceret, quærebatur, & in qua solvenda D. D. in varias oppositasque sententias distrahebantur; quod pariter in quacumque alia quæstione, qua D. D. disputant, an hæc, vel illa actio licita sit, necne, evenire compertum est. Illud autem peculiare habet quæstio nostra probabilistica, quod reflexa sit, & quæstiones illas omnes directas necessario præsupponat: quum ipsa disquirat, num in illiusmodi contrariarum opinionum solide probabilium conflictu, in quo consistit quæstio directa, liceat cuivis juxta minus tutam æque, vel etiam minus probabilem operari.

Digitized by Google

324. In iſta reflexa, & univerſali quæſtione quærere ab adverſariis libet, utrum ejus deciſio, ſeu determinatio ſit periculoſa? Si juxta ea, quæ à S. Thoma, de quæſtione directa diſſerente, audivimus, periculoſa dicitur, periculoſe iidem adverſarii decernunt, rem non licere; quum S. Thomas, interprete S. Antonino, non ex una tantum parte, ſed utrimque periculum agnoverit. Si vero ipſi nullum eſſe cenſent periculum in ſua ipſorum quæſtionis reflexæ determinatione, qua minus tutam, æque, aut minus probabilem ſequi non licere adfirmant: pari jure Probabiliſtæ nullum eſſe cenſent periculum in ſua ipſorum ejusdem quæſtionis determinatione, qua licere adſeverant.

325. Et ſane ipſa veri inveniendi difficultas, quæ in directa quæſtione periculoſam deciſionem facit, efficit in quæſtione reflexa facilem, & periculi expertem Probabiliſtarum deciſionem, prout exemplo liquet ipſius S. Thomæ, qui ibidem duarum præbendarum retentionem, *attento Jure Divino*, licitam eſſe indubitanter decidit eo tantum: *quod in Sac. Scriptura expreſſa mentio ea de re non fit, quamvis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus Scripturæ forte adduci poſſint; quæ tamen non dilucide veritatem oſtendunt*: unde Probabiliſtæ actionem licitam eſſe dicunt vel eo tantum, quod nulla ratione conſtet, eam pro-

prohiberi, quamvis aliqua adduci possint, & adducantur prohibitionis argumenta; quæ tamen prohibitionem certò, ac dilucide non ostendunt, sed solum probabilius.

326. Jam vero S. Antoninum audiamus, quem Recentior num. 118. nobis opponit: S. Anton. 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10. hæc scribit: *Quum in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ* (sive opinioni benignæ) *videtur se exponere periculo mortalis*: ergo videtur mortaliter peccare. Fateor equidem nil clarius, nil dilucidius, nil rotundius contra Probabilismum dici, vel fingi posse; valde tamen miror, ita hæc objici nobis potuisse à doctissimo Prælectionum Auctore.

327. Age vero, ab illa regula, inquit Recentior, quam S. Anton. relatis verbis stabilit, nempe: *qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis*, scrupulosos eximit, subiungens: *Si dubitet leviter quis per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat, habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidet de opposito: sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus D., & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita opinione*: ergo juxta S. Anton. è sequentibus opinionem benignam, illi soli non peccant, qui aut scrupulosi sunt,

 aut

aut opinionem sequuntur magis probabilem; reliqui vero peccant, quia sese exponunt periculo peccandi.

328. Resp., illud, quod primo nobis loco, veluti principium S. Antonino certum, exploratumque Dissertiss. Recentior objecit, sententiam S. Antonini non esse; sed imo esse ejus adversariorum, non bene Ecclesiastici, & S. Thomæ sententias interpretantium, objectionem, quam sibi solvendam proponit, ac solvit Antoninus. Juvat integrum sermonis contextum describere, ut clare, dilucide, rotunde S. Antonini Probabilismus innotescat.

329. Hæc ait Anton. *Item quia dicitur Ecclesiastici 3. qui amat periculum, peribit in illo, hinc est, quod B. Thom. & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Quum ergo in aliqua re morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; quum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera.* Sic porro Anton. scribit; attamen addit continenter: *Sed ad hæc respondetur*, istudque continenter addens, ostendit, se non sententiam suam, sed contra suam sententiam objectionem, à se solvendam, proposuisse.

330. Sol-

330. Solvit enim vero in hunc modum: *Sed ad hæc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter rem, de qua dubitat esse mortale, permanente* (nota bene) *dubitatione, mortaliter peccat; etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo proprie, & stricte dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem; nec magis declinat quis ad unam, quam ad aliam* (quo casu nihil opinaretur ille, sed inter utrumque fluctuaret. Vide num. 17. & 18.) *sed si leviter dubitet quis per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat, habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidet de opposito; sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doct., & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita sententia, etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera. Et hoc nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Script., vel determinationem Eccl.*

331. Neque hoc in loco Anton. agit de scrupulosis, ut noster Theolog. arbitratur, sed communem omnibus, atque omnibus magnopere salubrem doctrinam profert. Quamquam enim levem illam, & improprie dictam dubitationem *per modum scrupuli* se habere dixerit, at dixit tamen, illum, *qui inter varias, & contrarias opiniones, uni parti in hæ-*

Digitized by Google

hærens, de opposita dubitat, in probabilium oppositarum rationum conflictu versari, atque ob ipsam rationum contrarietatem formidare, ne opinio, quam anteferre cogitat, à vero aberret. Quum igitur ejusmodi dubitatio, sive formido prudens sit, utpote quæ è probabilium contrariarum rationum consideratione suboritur; scrupulosi autem dubitatio, sive formido omnino sit imprudens, utpote quæ non rationi probabili innititur, sed inani apprehensioni, non de scrupuloso loquitur Antoninus, sed de quolibet opinante prudenti opinatione.

332. *Si dubitet leviter quis per modum scrupuli*, ait Anton., *sicut dubitat, seu formidat, habens opinionem de aliquo . . . . sic operando contra tale dubium, non peccat*: Etenim sicut potest quis scrupulum parvi pendere, & conscientiam prudentem, atque certam efformare, juxta quam licite contra scrupulum operetur; pariter opinans unum, & de opposito formidans, formidinem hanc potest despicere, & conscientiam prudentem, ac certam efformare, juxta quam licite operetur contra præconceptam formidinem, seu dubitationem, quam, judicium reflexum efformans, plane abjicit; & deponit.

333. At inquies verba illa, quæ prope finem Anton. adhibuit *qui habet*, *rationes pro ipsa magis*, *quam pro opposita opinione*; & hæc

hæc item alia, quæ in eod. §. 10. leguntur *dummodo bonam sibi conscientiam, vel credibilitatem* (melius *credulitatem*) *formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliore parte*, clare indicant, in ea fuisse sententia S. Antoninum, ut ad licite operandum necessum esse judicaret, sequi probabiliorem.

334. Resp. neutrum rem evincere: Non primum, quia Antonin. illis verbis solum denotare voluit, in opinione minus tuta, minusque probabili præter solidarum rationum momenta, quibus probabilis constituitur, inveniri aliquid, quod in opposita non invenitur, & ratione cujus magis illa eligenti probatur, v. gr. inveniri lenitatem, facilitatem, commodum, quæ contrariæ desunt. Non secundum, quia illa verba apprime congruunt Probabilismo: quum enim S. Antoninus contrariarum, æque, vel inæqualiter probabilium, opinionum considerationem præmisisset; nomine *bonæ conscientiæ*, *seu credulitatis*, quæ post illam considerationem efformatur, ultimum judicium practicum proculdubio intellexit, cui soli quadrare potest nomen *conscientiæ*; hoc autem judicium in Probabilistarum sententia non modo probabilius est, sed plane certissimum.

335. Instabis: Idem S. Anton. in ipsa par. I. tit. 20. §. 16. *Nota* inquit *quod est dubium probabile*; *& est dubium scrupulosum*.

De

De probabili hic loquimur, quum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales, & peccatum grave est se exponere tali dubio, ubi est mortale. Ac demum iterum iterumque in Summa admonet, & inculcat: *Res dubia est: ergo ab ea abstinendum.* Resp. utrobique S. Anton. loqui de dubitatione permanente; neque aliter sibi constaret, quum, ut nu. 301. retulimus, supra dixisset, *illum qui agit scienter rem, de qua dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccare.*

336. Et sane quum Anton. dixit *peccatum grave est se exponere tali dubio*, verba ista *tali dubio* usurpari in dandi casu non possunt, quis enim unquam dixerit, grave esse peccatum dubitare utrum vera reapse sit, an falsa opinio tutior, seu adfirmans actionem prohiberi? quodsi vero dubitare de veritate opinionum mere probabilium neque grave, neque leve peccatum est, sese exponere tali dubio nullum erit peccatum. Quum ergo Anton. dixit *grave peccatum esse se exponere tali dubio*, verba ista *tali dubio* non in dandi casu adhibuit, sed in auferendi casu, ita ut sensus sit: *peccatum grave est se exponere periculo graviter peccandi, operando cum, vel in tali dubio peccati mortalis*: nemini autem licere *in tali dubio, cum tali dubio, permanente tali dubitatione*, quod minus tutum est, operari, per-

spi-

spicua, atque conspicua Probabilistarum sententia est.

337. Cæterum hæc alia præclarissima scita, quæ modo proferam, non parum negotii Probabilioristis facessunt, & S. Antoninum sin minus nomine, quod tunc temporis, quum solide probabiles opiniones non pensitabantur, inventum nondum erat, re tamen ipsa Probabilistam demonstrant. In prima parte (*a*) Anton. scribit: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*: ergo quamvis semper esset tutius operari juxta probabiliorem, S. Antonin. auctore, non præcepti illud esset, sed tantummodo consilii.

338. Parte 2. (*b*) *Si diceretur, hic esse usuram, & usura est contra Decalogum. Respondetur, sed hunc contractum esse usurarium, non est clarum, quum Sapientes contraria sibi invicem in hujusmodi sentiant. Quum autem dicitur ignorantia Juris naturalis non excusare, intelligitur de his, quæ expresse per se, vel reductive sunt circa Jus naturale, & Divinum; ut circa fidem, vel præcepta per evidentes rationes, vel determinationem Ecclesiæ, vel sententiam communem Doctorum; & non de his, quæ per multa media, & non clare probantur esse contra præcepta, & articulos.*

339. Ibid.

(*a*) S. Anton. 1. par. tit. 3. §. 10.
(*b*) S. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 11. §. 28.

Digitized by Google

339. Ibid. (*a*) *In bujusmodi ergo, quia in dubiis tutior via est eligenda . . . . ideo consulendum est unicuique, ut ab emptione talium jurium abstineat . . . . quodsi tale consilium recipere recusaret quis, reputans illa licita esse ex rationibus, seu consiliis, babitis à Sapientibus circa bæc; & prædicta jura emere intenderet, reliquendus videtur judicio suo, nec condemnandus ex boc, aut neganda absolutio.*

340. Ibidem (*b*) *Quod autem volentes probare, contractum esse illicitum, inducunt illud = In dubiis tutior via est eligenda = Respondetur, hoc esse verum de bonestate, & meriti majoritate, non de salutis necessitate quoad omnia dubia.* Ibidem (*c*) tandem *Item quum dicunt, quod exponere se periculo mortalis est mortale secundum B. Thom. . . . . Respondetur: qui emit prædicta jura, potest non dubitare de hoc, sed opinari licitum esse, ex quo per Ecclesiam non est determinatum contrarium, & multi Sapientes, & periti licitum adseverant.* Quæ quum adeo clara sint, S. Antoninum toto cœlo à Probabilioristarum systemate distare, cæcus non videat.

341. Denique in edit. Bonon. in nota ad num. 125. 1.ª Prælectionum Auctor dictis in aliis edit. addit auctoritatem Bossueti, sic scribens:

(*a*) S. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 11. §. 28.
(*b*) Idem ibid. §. 29.
(*c*) Idem ibid. §. 31.

bens: *Luce clarius eſt, inquiebat Illuſtriſſimus Boſſuetus, diligentiſſime præcavendam opinionem, quæ minori probabilitati favet; quippe quæ animas inducat in laqueum, ſecuritate falſo oſtenta, non autem præſtita; & inevitabilis damnationis judicio conſequuto.*

342. Apage, proditorium nefas, extremumque ſupplicium. Cur vero diligentiſſimus cæteroquin Theologus, non nobis indicat, quiſnam è duobus conſanguineis, cognominibuſque Boſſuetis damnationis illam ſententiam pronuntiaverit? num Jacobus Benignus Patruus, Epiſc. Meldenſis? anne Jacobus Benignus Boſſuetus Nepos, Trecenſis Epiſcopus? quorum adeo diſpar auctoritas, ut Probabiliſtæ ſibi Meldenſem adverſari ægerrime profecto ferrent; Trecenſem, facillime.

343. Si voluit Gazzaniga ſolo nomine Boſſueti celebriorem ſignificari, nempe Meldenſem, non magnopere pugnabo; cur tamen locum non indigitat, ubi ſententia legitur, ut quis poſſit, perſpecto contextu, deprehendere, an illic exprobretur omnis Probabiliſmus, an ille tantum, qui non Probabiliſmus, ſed laxiſmus appellari deberet? Probatum enim num. 122. reliquimus, Gallicanos Antiſtites non niſi contra *ſummam luxuriantium ingeniorum licentiam* zelum ſuum accendere conſuevisse.

344. Cur præterea ne Opus quidem, aut Opuſculum deſignatur, quod ſane, quum ſermo

mo est de Bossueto Meldensi, plurimum referebat, ut, inspecto editionis anno dignosceretur, utrum sententiam illam revereri debeamus, an aspernari? quandoquidem nemo eruditorum ignorat, Opera Bossueti Meldensis, posthuma, antequam ederentur, fuisse corrupta Vide Maffeium (*a*).

345. Equidem puto, prolatam illam sententiam, si adversus Probabilistas dicta intelligatur, Bossuetum Meldensem auctorem non habuisse; namque inepta illa, & temeraria est; Meldensis autem nihil unquam nisi apte, accurate, sapienterque dixisse dicitur. Inepta est illa, quia Probabilismus favet quidem hominis libertati, cui facultatem dat è contrariis probabilibus opinionibus eligendi, quam velit; directæ tamen opinionis probabilitati vere non favet, quum nullum illi probabilitatis gradum adjungat, sed ipsam sinat, qualis erat, minus probabilem. Est item temeraria, quum temere nefarium crimen, & ultimum supplicium Probabilistis intentet, nulla causa adhibita, nulla ratione, qua intentum, & intentatum probentur. Notissimæ ergo quum sint Bossueti Meldensis æquitas, & Sapientia, nemo prudens, prolatam unquam ab eo fuisse illam sententiam autumabit.

346. Objiciunt 6. Probabilioristæ non nulla rationum momenta. Primum: licet quis, ajunt, pru-

(*a*) Maffei Osservazioni Letterarie tom. V. pag. 4.

prudenter adſentiatur aſſensu, opinantis proprio, parti minus tutæ, minusque probabili, operari tamen juxta illam non niſi imprudentiſſime poteſt: ergo non licet juxta illam operari. Probat. ant.: dum illi opinioni minus tutæ, & minus probabili quis adſentitur, ne eadem falſa ſit, ne operatio, quam juxta eam opinionem ponere meditatur, vere prohibita ſit, prudenter formidat, atque ita comparatus animo eſt, ac ſi diceret: *verum hoc probabiliter puto, timeo tamen, ne forte ſit falſum*: vel hoc alio pacto: *licitam hanc actionem exiſtimo, vereor tamen, ne licita non ſit*: atqui ſub hac animi diſpoſitione operans periculo peccandi ſe exponeret, ac re vera peccaret, quod hominis eſt imprudentiſſimi: ergo non niſi imprudentiſſime, & illicite operaretur. Hæc objectio in prima Edit. Vindobonen. fuſe traditur, ſummatim in ſecunda Veneta numero 60. & 83., nec in Bonon. præteritur, ubique tamen, ni fallor, verbis enervioribus.

347. Reſp. nego ant., & diſt. mai. probat: formidat, aut timet, dum in ſola ſiſtit opinione directa, conc., quum dictamen reflexum efformat, nego mai.: & diſt. min.: peccandi periculo ſe exponit, ſi ſola opinione directa ductus operetur, conc.; ſi operetur ductus reflexo, certoque dictamine, nego min., & conſeq. Ut quis prudenter, ac licite juxta opinionem minus tutam, minusque

probabilem operetur, sic, vel simili alio modo secum ipse ratiocinetur necesse est = Hanc operationem prohibitam non esse puto, cum aliqua tamen prohibitionis formidine, eo quod rationes, quæ movent, ad certitudinem ingerendam animo non pertingant; hanc itaque actionem mihi licere opinor, seu probabiliter puto: atqui licere mihi actionem ponere, quam probabiliter licitam existimo, non tam probabile, quam omnino certum mihi est, idque judico absque ulla formidine falsi: ergo possum licite actionem ponere absque ulla peccandi formidine, vel periculo.

348. Primum judicium, quod in eo syllogismo perhibet propositio major, commune est & Probabilistæ, & Probabilioristæ, nisi is velit extra quæst. abire, & non de probabiliori loqui, sed de certa rei cognitione; atque certissimum item est tum circa licitudinis existimationem, tum etiam circa illicitudinis formidinem, quam utramque adfirmat haberi, & haberi reapse intimo sensu certò constat sic judicanti. Secundum judicium, in minori contentum, quod circa licitudinem actionis versatur, non quidem in semetipsa tantum inspectæ, sed actionis, prout probabiliter licita censetur, certum quoque esse, ac nullum jam illicitudinis prudenti timori locum relinquere, multis hucusque à nobis comprobatum est: unde judicium ultimum

mum practicum prudentissimum, certum, errandi formidinis, & peccandi periculi expers omnino est, atque sufficientissimum ad licite operandum.

349. Insistunt nihilominus Probabilioristæ: ad licite operandum certitudo saltem moralis de operationis honestate, omnem prudentem inhonestatis formidinem excludens, necessaria est: atqui eam certitudinem habere nequit, qui juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam operatur: ergo nequit is licite operari. Probat. minor: nullam habet certitudinem de honestate operationis ille, cui operatio magis mala, & illicita, quam bona, & licita videtur; cui probabilius est, actionem esse prohibitam, quam licere; & qui prudenter formidat, ne prohibita, & illicita operatio sit: atqui sic se habet, qui juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam operatur: ergo is morali honestatis certitudine caret: ergo quum nemo licite operetur absque morali certitudine de honestate suæ operationis, qui operatur juxta minus probabilem, ac tutam opinionem, licite non operatur.

350. En Probabilioristarum Achillem, cujus viribus Gonetus plurimum confidebat, & cum Goneto Gazzaniga, qui num. 48. confidentissime, ait: *nullo modo posse ex principiis reflexis dubium speculativum tolli, & moralem certitudinem induci.*

 351. Sed

351. Sed vero posse moralem certitudinem induci ex principiis reflexis indubitanter affirmant Suar. (*a*) & apud Suar. Navarr., Silvest., Antonin., aliique quamplurimi, quinimo Laurent. Berti, qui quidem Gazzanigæ *Magnus Apollo* semper fuit, dissertissime tradidit (*b*) *proculdubio posse ex reflexione mentis, ante perplexæ, fieri judicium practicum moraliter certum*. Verum aut Achilles ille debellandus ab ipsis Probabilioristis est; aut ii in Tutioristarum partes iterum concedant, oportet.

352. Sic Tutioristæ argumentantur: ad licite operandum certitudinem saltem moralem de operationis honestate, vel licitudine, necessariam esse, apud omnes in confesso est: atqui certitudinem illam solum habere potest qui juxta opinionem tutiorem operatur: ergo solum licite operatur, qui sequitur tutiorem. Prob. min.: operans juxta opinionem minus tutam etiam probabiliorem, illa morali certitudine caret; si quidem major probabilitas, quandocumque probabilitatis limites non prætergreditur, prudentem inhonestatis formidinem non excludit, & consequenter neque animo ingerit moralem certitudinem honestatis: ergo solus ille, qui juxta tutiorem operatur, de suæ operationis honestate moraliter certus esse potest: ergo quum certitudo saltem mora-

lis

(*a*) Suar. 1. 2. trac. 2. disp. 12. sec. 6. nu. 8.
(*b*) Berti tom. 5. lib. 21. cap. 13.

lis de honestate actionis ad licite operandum sit necessaria, ut quis licite operetur, operari necessario debet, quod tutius est.

353. Ab ista Tutioristarum argumentatione sese Gonetus, & Gazzaniga, ut ut potuerint, extricent, dum facile ego, atque perspiscue ab ipsorum istorum me tricis expedio, respondens, nego min.: ad probat. dist. mai.: qui operatur juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam, nullam de actionis honestate habet certitudinem vi considerationis directæ, qua utriusque partis rationes perpendit, conc.; vi judicii reflexi sæpius explicati, nego mai.: & dist. min.: sic ille se habet, nempe probabilius censet, actionem esse prohibitam, quam licere; & prudenter formidat, ne prohibita, & illicita sit operatio; sic inquam se habet, dum in sola sistit contrariarum opinionum consideratione, conc.; dum judicium reflexum post eam perplexitatem efformat, nego min., & conseq.

354. Profecto quicumque contrariarum opinionum solide probabilium rationes sedulo contemplatur, quamvis illam, quæ pro lege est, probabiliorem agnoscat, agnoscit tamen alteram, quæ pro libertate est, solide probabilem; & quænam earumdem vera reapse sit, plane non videt. Dubitat igitur, hæret ille: ex una parte probabilius ipsi videtur, actionem malam esse, aut prohibitam, ut ad-

versarii dicunt ; ex alia vero parte , quod illi reticent , gravibus fundamentis , sive solida probabilitate existimat , actionem bonam esse, ac licere ; & in hac perplexitate constitutus, formidat quidem , ne prohibita , & illicita operatio sit , talem autem esse certo decernere non audet , imo neque potest propter solidas , gravesque rationes opinionis contrariæ : nullam igitur huc usque certitudinem ille habet neque licitudinis operationis , neque illicitudinis , quum neutra certa sibi sit , ac formidinis expers , sed altera tantum probabilis , altera tantum probabilior : & en casum quæstionis .

355. Ultra hanc tamen incertitudinem ille cogitatione progreditur , & Lactantii , S. Thomæ , ac Bened. XIV. , quæ num. 220. retulimus , monita reminiscens , ex ipsamet legis , seu prohibitionis incertitudine certissime , ac indubitanter infert libertatem operandi , seu licitudinem operationis : habet ergo in suo reflexo practico judicio moralem de licitudine actionis certitudinem , quæ ad licite operandum desiderabatur .

356. Hoc vel simili pacto secum ille Probabilista reputabat : quamdiu lex , seu prohibitio dubia est , incerta , nondum sufficienter promulgata , & proposita , ita ut num vere existat invincibiliter ignoretur , nullam obligationem parit , & hoc est certius , quam quod ma-

maxime: atqui talis est lex, seu prohibitio, nempe dubia, incerta, invincibiliter ignota circa hanc operationem, quandocumque solide probabiles sunt ambæ illæ contrariæ sententiæ, tunc enim utrum lex illa, vel prohibitio hujus determinatæ actionis vere unquam extiterit, non constat, dubium est, nescitur: ergo stante solida probabilitate utriusque illius opinionis, certissimum est, nullam illa lege obligationem induci, hominemque liberum ab legis obligatione, posse licite juxta magis, vel minus probabilem opinionem agere, prout libuerit.

357. Urget Gonetus, & magnificis quidem verbis inquit (a): *Difficile non est Probabilistas ab illa* (reflexæ certitudinis) *arce depellere, & murum hunc arietare, clypeumque stramineum penitus infringere*. Sic ille: mihi vero experiri libet, quod jam olim alter Probabilista præstolabatur, scilicet: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* (b)

358. Supponit Gonetus certum fixumque Probabilistis esse dogma: *Sequens sententiam probabilem, tutò operatur, & securus est de rectitudine, & honestate suæ operationis*: vel brevius: *qui probabiliter incedit, tutò incedit*: tumque confidentissime quærit: *an illud dogma sit certum, vel tantum probabile? Certum;*

(a) Gonet. Diss. de opin. prob. §. 3. nu. 34.
(b) Horat. in Arte Poet.

tum si respondeant : undenam ejus certitudinem repetunt ? an ex Scriptura ? at multis Scripturæ locis impugnatur hoc dogma, nullo stabilitur : An ex P. P. ? Sed nec ullum pro ipso adferre possunt Patrum testimonium. An ex ratione ? nec ullam pariter rationem evidentem, & demonstrativam possunt adducere. Si vero dicant, tale dogma esse tantum probabile, ut proculdubio dicere tenentur, manifestum est, illud non esse medium sufficiens ad certificandum hominem de rectitudine suæ operationis. Hæc Gonetus, ac si contrarium dogma *tuto non incedit, nisi qui incedit probabilius* certum omnino esset, & non mere probabile, vel potius, quam mere probabile, omnino falsum.

359. A Goneto, & Gazzaniga Probabilistæ vicissim quærunt, nonne fatemini, ad licite operandum saltem moralem de honestate actionis certitudinem necessariam operanti esse ? Sic profecto constat inter omnes. Nonne adseveratis ab operante juxta minus probabilem opinionem non certum judicium reflexum; sed tantum probabile haberi posse ? imo adseritis fateri istud Probabilistas debere, velint, nolint. Ecquid autem obstat, quo minus judicium certum reflexum efformetur ? nihil certe aliud sententiâ vestrâ, nisi minor directæ opinionis probabilitas. Siccine vero judicium reflexum correspondere debet opinioni directæ (ex

(ex qua illud certe tamquam ex præmissa non deducitur) ut si ista tantum probabilis sit, nequeat illud probabilitatis limites præterire? Vide nu. 168. 169.

360. At si ita se res habet, similiter Probabiliorista quivis, quum ad operandum juxta opinionem non certam, sed probabiliorem se accinget, aut nullum judicium reflexum de honestate actionis efformabit, aut non efformabit nisi probabilius, ex æquo quidem correspondens opinioni probabiliori, quam sequi meditatur, minime tamen probabilitatis terminos prætergrediens, minime certum: undenam ergo poterit illam moralem de honestate actionis certitudinem, ad licite operandum necessariam, repetere?

361. Respondent jam Probabilistæ ad interrogationes Goneti negando suppositum. Namque ajunt, protestanturque, se dogma illud ea universalitate, qua à Goneto profertur, minime veluti certum traducere, & ne probabile quidem censere, sed plane falsum judicare. Se, inquiunt Probabilistæ, veluti certum, & exploratum constituere, non eum, qui quamcumque, levem etiam, aut tenuem, dubiam, vel incertam probabilitatem sequitur, tuto operari, aut esse securum; sed eum, qui opinionem certò, & gravi auctoritatis, ac rationis pondere probabilem sectatur, atque hac, & non illa probabilitate incedit, tuto in-

incedere : quia nempe solida illa opinionis directæ probabilitas satis est , ut per actus reflexos prudens , certum , reflexum , practicum judicium efformetur , quo illicitudinis suspicio , & peccandi periculum prorsus arceatur. Istud autem Div. Scrip., Sacror. Can., Roman. Pontificum , S. S. Patrum , plerorumque T.T. auctoritate , ac validissimis rationibus ita confirmatum supra tradidimus , ut sin minus singula illa momenta , saltem cuncta moralem dogmatis certitudinem ingerendo sint paria .

362. Verumtamen Gonetus , ne operans juxta probabiliorem absque morali certitudine de actionis honestate operari diceretur , ipsam opinionem probabiliorem dixit , illique postea consensit Gazzaniga num. 106. non mere probabiliorem esse , sed certam , & unice probabilem : quippe opinio minus probabilis , comparatione facta ad probabiliorem , suam probabilitatem amittit , & improbabilis , ac falsa censeri debet , idque probat exemplis .

363. Primo *sic se habet* (Goneti sunt verba , quæ etiam apud Gazzanigam reperies in prima edit. Vien.) *sic se habet minus verum ad intellectum , sicut minus bonum ad voluntatem : sed sic est , quod respectu voluntatis licet quodlibet vere bonum sit amabile secundum se sumptum , tamen comparatione ad majus bonum non est amabile , neque bonum . . . . ergo licet*

licet opinio minus probabilis secundum se , & præscindendo ab alia probabiliore , probabilis sit , & possit tuta conscientiâ eligi , secus tamen in concursu alterius probabilioris .

364. Secundo *juxta S. Thom.* , & *Arist. medium comparatum ad unum extremum , alterum extremum videtur , v. g. tepidum comparatum calido videtur frigidum , & comparatum frigido , videtur calidum . . . . . unde quum opinio minus probabilis mediet inter improbabilem , & probabiliorem , licet comparative ad improbabilem probabilis sit ; facta tamen comparatione ad probabiliorem , censetur improbabilis .* Queis noster Cl. Gazzaniga hanc adnotationem adjungit , nempe *P. Suarez lib.* 8. *de legib. cap.* 13. *num.* 19. *major probabilitas , inquit , quædam moralis certitudo est , si excessus probabilitatis certus sit .* Hæc , speciosa quidem vulgo , Gonetus , & Gazzaniga , qui sane non tam disputare sententiis mihi videntur , quam vocibus ludificari , ac potius Tutiorismum , quam Probabiliorismum tueri .

365. Etenim sicut se habet probabilius ad minus probabile , vel è contra ; ita se habet tutius ad minus tutum , vel è converso : ergo si , facta comparatione opinionis minus probabilis ad probabiliorem , illa censeri debet improbabilis , & falsa ; similiter , facta comparatione opinionis minus tutæ ad tutiorem , illa tuta esse desinet , & periculi plena fiet judicio

cio comparantis : ergo nemo , opinionem etiam probabiliorem, minus tamen tutam amplectens in concursu tutioris, tutâ conscientiâ operabitur, quum opinionem sequatur judicio suo periculi plenam, minime tutam: ergo ut tutò quis operetur, semper debet tutiorem amplecti, quam, comparatione facta ad minus tutam, unice tutam, arbitratur: triumphat igitur Tutiorismus, Ducibus Gazzaniga, & Goneto, eisque canere jure possem.

Quo res summa loco? (Gonet) *quam prendimus arcem* (*a*)?
Tu nostram? anne tuam nos? jaculisque tuis?

366. Ut vero utrique simul respondeam, hæc ipsorum est thesis: *licet opinio minus probabilis secundum se, & præscindendo ab alia probabiliore, probabilis sit: in concursu tamen alterius probabilioris improbabilis evadit, & falsa.* Nimirum, judicibus Gazzaniga, & Goneto, semilibra panis, quæ secundum se suo semilibræ pondere gaudere censetur, si in bilance ex una parte appendatur, & cum libra comparetur, ex altera parte appensa, suum illa pondus amittet respectu ponderantis, ipsi res erit nihili, & plane impar frangendo jejunium vel ipsius etiam Concinæ severissimo judicio.

367. Lon-

(*a*) Virg. lib. 2. Æn.

367. Longiſsime alia fuit sententia S. Tho. qui (*a*) duarum contrariarum opinionum comparationem instituit, ac neutram judicavit certam, sed utramque probabilem; & unam altera probabiliorem inquiens: *Quidam dicunt, quod omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necesse est, confiteri, si memoriæ occurrant: alii vero dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt; & hoc est probabilius*, supple, quin propterea primum reddatur improbabile. Et quamvis senior factus istam sententiam retractasset, aut retractaturus fuisset S. D., ut Sotus, & Silvius judicarunt apud Billuart (*b*), comparationem certe non retractasset, sed invertisset, dixissetque *Quidam* negant illam obligationem, alii adfirmant; & hoc est probabilius.

368. Profecto quum opinio minus probabilis secundum se, ac præscindendo ab altera probabiliore consideratur, ab illa veluti aufertur, sive præscinditur, quod significat vox illa *minus*, eique tantum relinquitur, quod significat vox illa *probabilis*; sicque opinio cogitatione nostra remanet tantum probabilis, præcisè probabilis, Scotus diceret, *probabilis ut sic*.

369. Quid

(*a*) S. Tho. in 4. dist. 16. qu. 4. ar. 2. q. 1.
(*b*) Billuart. Tract. de Sacram. Pœnit. Disser. 7.ar.2.§.3.

369. Quid autem fiet, si eadem illa opinio non secundum se & præscindendo à probabiliore usurpetur, sed imo cum probabiliore conferatur. Illi tunc certe, quod præscissio abstulerat, comparatio restituet, & opinio, qualis re vera est, non utcumque, seu præcise probabilis, multoque minus improbabilis, sed minus probabilis, quam altera, apparebit. Comparatio igitur opinionis minus probabilis ad probabiliorem illius probabilitatem non aufert, sed ostendit minorem, ergo comparatione facta opinionis minus probabilis ad probabiliorem, illa non improbabilis, & falsa, ut Gonetus ajebat, sed minus probabilis, qualis est, cuiquam non oculis capto videri debet.

370. Primum exemplum è duobus à Gonet. propositis, quibus rem suam firmari existimavit, illud est: *sic se habet minus verum ad intellectum, sicut minus bonum ad voluntatem*. At placitum hoc, cui tota Goneti ratiocinatio innititur, duplici ex capite falsum est. Primo si castigate loqui velimus, verum, quod est objectum intellectus non suscipit magis, & minus; suscipit autem bonum, quod est voluntatis objectum: neque inter vera reperiri potest unum minus verum alio in ratione veri, quum tamen identidem inter bona inveniatur unum minus bonum alio, in ratione boni.

371. Un-

371. Unde hoc intereſt inter *verum verius veriſſimum*, & *bonum melius optimum*, quod iſta inequalitas ipſiſmet rebus ineſt, ſi quidem rem unam ſuperare alteram bonitate perſpicuum eſt: prima vero non rebus ineſt, ſed rerum cogitationibus, ita ut illud verum dicamus, quod verum utcumque cognoſcimus; illud verius, quod clarius, vel certius cognoſcimus eſſe verum; illudque veriſſimum, quod clariſſime, vel certiſſime. Quum ergo minus verum nuſquam niſi in cerebro adverſariorum exiſtat, ſe habere ad intellectum non poteſt, ſicut ad voluntatem ſe habet minus bonum.

372. Secundo: ſi loco *veri, probabile* dixiſſet Gonetus, non inficias iverim, eſſe aliud magis, aliud minus probabile; ſed tamen quoque negarem, iſta ſe habere ad intellectum, ſicut magis, & minus bonum ſe habent ad voluntatem. Ratio eſt, quia duabus opinionibus, aut aſſertionibus contrariis intellectui propoſitis, v. g. rem licere propter has rationes, & non licere propter alias; tum intellectus ſibi relictus, & nullo adcedente voluntatis impulſu, ſi utrumque eſſet æque probabile, neutri adſentiretur, ſed dubius hæreret; ſi vero alterum altero eſſet probabilius, ad iſtud magis inclinaret, eique adſentiretur aſſenſu imperfecto, incerto, meticuloſo, vel opinantis; & ita quidem tunc aſſentiretur non libere, quum nullus actus in-

intellectus ipsi sit liber, sed necessarius, ut indicat Suar. (a). Accedente autem voluntatis impulsu, trahi intellectus posset tum ad æque, tum ad minus probabile, in ipsum magis inclinare, eidemque pari assensu, opinantis proprio, assentiri, ut ipsemet Suarezius tradit, doctus a S. Tho. (b). Vide num. 23. 24. 25.

373. E contrario voluntas neque ab intellectu, neque ab objecto ad unum præ altero ex illis duobus bonis vel æqualibus, vel inæqualibus eligendum determinatur; sed à se ipsa; & quidem fatente Tyrso Probabiliorista, determinare se potest ad minus bonum, rejecto majori juxta illud notissimum Ovidii effatum: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*, & juxta S. Tho. (c) docentem, posse eum, qui efficaciter finem intendit, media utilia, & sufficentia seligere, relictis utilioribus: unde Discipuli S. Tho. inferre deberent, posse intellectum ex impulsu voluntatis reflexo suo judicio assentiri opinioni minus probabili, relicta probabiliori.

374. Aliud exemplum, quod in confirmationem sententiæ suæ Gonetus adtulit, videlicet *medium, comparatum ad unum extremum,* al-

(a) In 1. 2. trac. 2. disp. 10. sec. 1. nu. 5.
(b) S. Tho. lib. 3. Ethic. lec. 13., & 2. 2. qu. 1. ar.4., & qu. 14. de ver. ar. 2.
(c) Idem 1. 2. qu. 13. ar. 3. ad 1.

alterum extremum videri, sic absolute, & universaliter acceptum falsum quoque est. Namque si universaliter verum esset, virtus, quæ media est inter extrema vitia, illa comparatione facta, vitium deberet reputari, v. g. liberalitas, quæ inter avaritiam, & prodigalitatem est media, comparata avaritiæ censeri deberet prodigalitas, & comparata prodigalitati censeri deberet avaritia: bonum item, quod inter malum, & optimum medium est, comparatum malo, optimum; comparatum optimo, malum censeretur; istoque pacto dici recte posset *bonum malum*, *&* *malum bonum*.

375. S. Thom. igitur, & Arist. non universim illa de quibuscumque rebus dixerunt, sed dumtaxat de rebus, quæ externis sensibus percipiuntur, & de his quidem non secundum se, sed solum quoad sensus perceptionem: v. g. quod tepidum est, si cum calido tactu nostro comparetur, frigidum percipitur; si cum frigido, calidum: & tamen neque calidum re vera est, aut esse censetur, sed tepidum: si enim frigidum re vera esset, aut calidum, medium inter frigidum, & calidum, sive tepidum esse desineret contra id, quod supponitur; & si frigidum, aut calidum illud re vera esse, eo quod tale tactu percipitur, quis censeret, vehementer erraret.

376. Postremo neque quod ultimo loco Gazzaniga adjecit in nota 1. ad num. 141.

Suarezii effatum, neque aliud illi simile in loco, quem ille citat, nempe num. 19. reperitur, imo nec locus ipse; quippe quum caput 13. libri 8. de legibus sex tantum numeris constet, nullus est ibi numerus 19., qui verba contineat.

377. Quodsi vero alibi illud scripserit Suarezius, aut dicendus erit certitudinem in improprio, ac lato sensu usurpavisse, ac propterea non absolute certitudinem, sed *quamdam certitudinem* illam appellavisse, accipiendo scilicet certitudinem pro qualicumque assensus firmitate: aut aliquid in ejus sententia supplendum, & legendum hoc pacto: *si excessus probabilitatis certus sit, puta, notabilissimus*; namque re vera, quum opinio probabilior ad certum excessum, nempe notabilissimum maximumque pertingit, quamdam moralem certitudinem indit in mentem. Compertissimum enim aliunde est, Suarezium à certitudine absolute, & proprie dicta non solum minorem, sed majorem etiam probabilitatem secrevisse, quum (*a*) dixit: *Denique potest comparari una probabilis, vel probabilior ad certam; interdum enim est certum, in aliquo actu, vel omissione nullum esse peccatum, & tamen quod contrarium etiam liceat, potest non esse certum, sed probabile, vel probabilius*.

CA-

(*a*) Suar. in 1. 2. trac. 3. disp. 12. sec. 6. nu. 4.

CAPUT III.

Proponitur, & refellitur Probabilioriſtarum Opinio.

378. DUo adſerunt Probabilioriſtæ: Primum in contrariarum opinionum æque probabilium conflictu nemini fas eſſe juxta minus tutam operari; atque hac in parte potius quam Probabilioriſtæ Tutioriſtæ dicendi eſſent; quippe non ad probabiliorem, quum neutra tunc opinio ſit alterà probabilior, ſed ad tutiorem opinionem opere complendam obſtringant. Secundum, in conflictu contrariarum opinionum, ſolide quidem, ſed non æque probabilium, quarum altera minus, altera magis probabilis cenſetur, non exiguo quidem exceſſu, qui moraliter nullus reputatur, ſed mediocri, ſatiſque notabili, minus probabilem amplecti vetant, & ad probabiliorem unice ſectandam ita compellunt, ut minus probabilem, minuſque tutam ſectari nunquam eſſe licitum, adſeverent: & ii, quum ad probabiliorem obligent, Probabilioriſtæ proprie dicuntur. Horum factionis modo hiſtoricam synopſim deſcribam, adſertionem refellam, momenta diſſipabo.

§. I.

Hiſtorica Probabilioriſmi ſynopſis .

379. NIcolius quidam circa medium Sæc. XVII. ſub adſcititio nomine Guillelmi Vendrokii famoſas litteras Provinciales, gallico ſermone primum editas à Lud. Montalto, & ab Alex. VII. damnatas, latino ſermone donavit, ac notis inſtruxit: quas & litteras, & notas juſſu Ludov. XIV. die 14. Octobris 1660. carnificis manus flammis tradidit. Is itaque Vendrokius Probabilioriſtarum ſententiam veluti antiquitate venerabilem, ac ſummorum Veterum Theologorum auctoritate ſuffultam repræſentat, idque lectoribus ut perſuadeat, in epiſt. 5. nota 1. ſec. 4. §. 1. tredecim Antiquos D.D. tamquam Probabilioriſmi tutores, adſertoreſque in medium producit, Henrich. Gandav., Panormitan., Angel., Cajetan., Silveſt., Gerſonem, Majorem, Conradum, Sotum., Adrian., Tabien., S. Antoninum, & Navarrum.

380. Quum autem eorum primum, ac reliquis antiquiorem, Henrichum anno 1293. è vivis exceſſiſſe conſtet, Philippo Labbæo teſte (*a*) quivis facile animadvertet, Vendrokium, omnia tredecim retro Sæcula perſcruta-

(*a*) Labb. De Scriptor. Eccleſ. ver. *Henrichus*.

tatum, nullum in eis Scriptorem invenisse, qui Probabiliorismo suo suffragaretur. Et tamen Probabiliorismi antiquitatem nobis obtendit? nobis, dico, qui ab ipso tertio Ecclesiæ Sæculo seriem ducentes, S. S. Patrum, Roman. Pontificum, T. T. auctoritate Probabilismum confirmamus? Ecquis istud non dixerit Catoniano risu dignissimum? Sed vero parum id ipsum refert; illud non indignanter ferre non possum, tredecim illos omnes D. D. veluti Probabiliorismi tutores, suasoresque tam confidenter traduci.

381. Henrichum quidem pronum in rigidiora suis in decisionibus ferme fuisse, non abnuo, imo rigidissima quæque complecti illum consuevisse dignosco, quum docuisse lego (*a*), *eum, qui potest æquali facilitate facere majus, & minus bonum, teneri exequi melius bonum*. Qui vero illum eo nomine Probabilioristis adnumeret, Probabiliorismum, & Rigorismum pro synonimis habeat necesse est, atque per summum errorem existimet, nullam opinionem benignam esse, aut concipi posse, rigidâ contrariâ probabiliorem.

382. Cæterum nostra super re hæc duo tantum ab Henricho tradita inveni, & inculcata, primum, *eum peccare, qui agit contra dictamen conscientiæ*; secundum, *illam, quæ è duabus opinionibus periculosa esse videtur, re-*

(*a*) Henrich. Gandav. Quodlib. 4. qu. 32.

duci ad praxim non poſſe . Hæc autem duo quoque Probabiliſtæ in exploratiſſimis ponunt, neque minus probabilem ac tutam opere complere permittunt, niſi quum ex vi reflexi judicii eſſe periculoſa deſinit.

383. Reliquos vero omnes quo jure Probabilioriſmi fautores Vendrokius nominaverit, Antoninus ipſe, cujus doctrinam à num. 326. usque ad 340. expoſuimus, præclarum dedit ſpecimen: & item Suar. (*a*) qui eumdem S. Antonin. Angel., Silveſt., Navarr., à Vendrokio pro Probabilioriſmo laudatos, contra Probabilioriſmum allegat, quorum profecto teſtimonia haud mediocrem difficultatem ingerunt Probabilioriſtis; illudque ſaltem evincunt manifeſte, ex Auctoribus nimirum, qui ante Sæc. XVI. floruerunt, nihil pro Probabilioriſmo, niſi admodum implexum, & obſcurum, produci poſſe.

384. Ita profecto ſe res habet, Probabilioriſtarum ſententia clare, & expreſſis verbis proponi, rationibus conſtabiliri, pro rei dignitate tractari incepit an. 1609. Tunc ſane Paul. Comitolus vir bonus, humanioribus litteris cum primis excultus, in Theologicis autem, P. Martino Eſparza judice, parum verſatus, utpote *quem*, ſic ille (*b*), *nulla unquam exædra publicum Theologiæ Profeſſorem exce-*

(*a*) Suar. in 1. 2. trac. 3. diſp. 12. ſec. 6. nu. 8.
(*b*) Eſpar. in Appen. ad qu. 23. ar. 235.

excepit, illo inquam anno Comitolus suis in Respons. moral. (*a*) in lucem primum edidisse dicitur Probabiliorismum.

385. Eum sequuti sunt Andr. Bianchius (alii Blancum appellant) qui an. 1645. sententiam illam in tract. *de praxi opinionum* typis dedit sub nomine Candidi Philaleti; deinde Michael Elizalde sub nomine Antonii Zella Dei *de recta doctrina morum*; Thyrs. Gonzal. *de recto usu opinionum probabilium*; Muniessa in *Stimulus conscientiæ*; Camargus in *Regula honestatis*: quos Jesuitas honoris causa nomines per me licet, Vendrokio tamen hac in parte perquam necessarios.

386. E Præclariss. S. Dominici Familia accesserunt Vincent. Baro (ab aliis Baron nominatur, ab aliis Baronius) Jul. item Mercor., Joan. Martinez de Prado, Jacob. à S. Dominico, Gonet, Contenson., Ubigant., & alii, ultimis hisce temporibus non pauci. Ex Canonistis vero, quos sciam ego, Prosper Fagnan., Anton. Merenda, & Card. Aguirre, qui in *Antiloquiis ad Concilia* quæst. istam cursim tractat, & retractat communem Probabilistarum sententiam, cui tunc usque suffragatus fuerat.

387. Verum & studiis ii, & sententiis prodigiose dissident. Comitolus, & Philaletus, & Martinez de Prado licitum esse faten-

(*a*) Comitol. in respons. moral. lib. 5. qu. 5.

tur opinionis minus tutæ usum, quando illa æque ac tutior probabilis judicatur; non tamen, quando dignoscitur minus probabilis. Zella Dei nec probabilitate, nec probabilioritate plerumque contentus, veritatem requirit, inventu sæpe difficillimam. Thyrsus, Muniessa, atque Camargus opinionem minus tutam sequi solummodo licere contendunt, quum illa, utriusque partis momentis bene perpensis, tutiore probabilior deprehenditur. Mercorus modo insistit Probabiliorismo, modo in Tutiorismum dilabitur, quod Goneto etiam, & Contenson. contingit, nostroque Gazzanigæ.

388. Ac denique Fagnanus sensit, solum fas esse probabilem minus tutam opinionem sectari, quum ad certitudinem moralem illa pertingit, ejusque momenta omnem errandi formidinem expellunt: sicque facto ipso comprobavit, verum se dixisse, quum fassus ingenue est, nil se versatum in rebus Theologicis fuisse; quum apud T. T. controversia tantummodo de opinionibus mere probabilibus instituatur. Vide Carden., qui (a) illorum omnium dissidia, & jurgia describit, ac plerosque ipsorum ostendit Probabilismi principia non satis calluisse.

389. Ab anno igitur 1642., quo primum expressis verbis, ac distincta, & clara sui descri-

(a) Carden. 3. par. Cris. dissert. 55., 56., 57.

scriptione prodiit Probabiliorismus, usque ad annum 1700. parum, aut nihil apud homines profecit: ab illo autem postremo Sæculi XVII. anno Probabilioristæ erigere animos, declamare, & exultare cœperunt, perinde ac si in Comitiis, tunc ab exigua Cleri Gallicani parte Parisiis celebratis, causa finita fuisset: quum ne inchoata quidem ibi contra Probabilismum vere fuisset, neque finiri ibidem præ auctoritatis caritate potuisset, ut supra commonefeci in historia Probabilismi; quæ suapte natura cum Probabiliorismi historia omni ex parte cohæret, ita ut quidpiam hic, & ibi dictis adjungere supervacaneum videatur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Refellitur Probabilioristarum Sententia.

390. T Thyrsus iterum iterumque (*a*) monet, ad majorem illam probabilitatem, cui uni operatio conformari licite potest sententiâ suâ, non satis esse qualemcumque probabilitatis excessum dubium, incertum, exiguum; sed excessum notabilem, manifestum, certum, & evidentem requiri, & quidem qui talis appareat veritatem diligenter, & absque studio partium investiganti.

391. Iis autem Tutiorismo viam sterni quis non videat? Ex una parte quisquis opinionem eligit, quæ visa sibi est probabilior, formidare nihilominus potest, ne in illo majoris probabilitatis judicio non satis se, prout humana conditio fert, studio partium exuerit; ne non satis diligenter rationum momenta, hinc inde pugnantia, perpenderit; ne è benignis, vel rigidis æquo pauciores Scriptores evolverit, aut peritos consuluerit: nunquam sane ille omnino tutus, sive securus hisce de rebus esse potest, prout Thyrsus ipsemet (*b*) fatetur; sed major suæ opinionis probabilitas semper formidini

(*a*) Thyrsus in 5., & 6. è propos. Capital., in Diss. 1. nu. 46., & in Dissert. 4. nu. 12.
(*b*) Thyrs. Dissert. 4. nu. 82.

Digitized by Google

dini obnoxia erit, nunquam certa, manifesta, & evidens.

392. Quin imo nunquam, aut admodum raro in opinionibus contrariis, solide probabilibus, illiusmodi excessus notabilis manifestus, certus, & evidens invenitur, siquidem opiniones contemplans, ac examinans, quum sciat, ea, quæ sibi apparent probabiliora, aliis minus probabilia apparere; nequit non formidare, si prudens est, ne non sit in opinione, quam eligit, excessus ille certus, manifestus, notabilis. Unde ut tot ille se, tantisque perplexitatibus eximat, irritam probabilioris electionem faciet, semperque tutiorem præ probabiliore eligendam constituet.

393. Ex alia vero parte quo accuratius ille, aut diligentius veritatem pervestiget, eo magis dignoscet, illam majoris probabilitatis speciem, seu præponderantem rationum vim, quantum ad rei veritatem adtinet, perinde se habere, ac si non esset. Agnoscet enim, & agnoscere debet, illius suæ opinionis probabilitatem, quæ sibi major videtur, ejusdem esse conditionis cum probabilitate opinionis contrariæ, quæ aliis videtur major, & quamvis veritatem pro sua potius, quam pro contraria parte stare, quisque censeat, & adfirmet, vadem se tamen dare non audebit, ni amens sit. Quamobrem quum scire nequeat, quænam illarum opinionum vera reapse sit;

ne-

neque invenire valeat, quænam earumdem illum certum, manifestum, notabilem probabilitatis excessum obtineat; facile conjiciet, ad tuto operandum non quod probabilius videtur, sed quod tutius est, semper esse præponendum.

394. Propterea Suar., quem adversus Vendrokii fidem supra citavi, hæc scribit (*a*): *Dicendum* 1. *quotiescumque est opinio* (solide) *probabilis, hanc actionem non esse malam, vel prohibitam, vel præceptam, potest aliquis formare conscientiam certam, & practicam, conformem tali opinioni. Præter Auctores citatos* (citaverat autem S. Thom., Cajet., Medinam, Ludov. Lopez) *favent huic conclusioni multa, quæ addacit Navarrus dicto Cap. SI QUIS AUTEM à nu.* 48., *& in Summa cap.* 27. *nu.* 288., *Silvest., Angel. ver OPINIO, Antoninus* 1. *par. tit.* 3. *cap.* 10. *Ratio est, quia excedit ordinarium modum humanæ facultatis majorem* (probabili) *cognitionem obtinere in singulis actionibus. Item quia esset intolerabile onus obligare omnes homines ad conferendas singulas opiniones*: ergo nemo debet probabiliorem perquirere: ergo nec debet quispiam juxta probabiliorem operari.

395. Constans enim, & indubitabile principium est, quod idem Suar. (*b*) tradit, scilicet

(*a*) Suar. 1. 2. trac. 3. disp. 12. sec. 6. nu. 8.

(*b*) Suar. de Censuris disp. 4. sec. 8. nu. 15.

licet: *In debito faciendi intrinsece includi debitum sciendi*: unde si quisque deberet juxta probabiliorem operari, quisque pariter deberet, antequam operari statuat; utramque opinionem perpendere, & probabiliorem, quum eam ignorat, inquirere: atqui nemo debet probabiliorem inquirere: ergo nemo debet juxta probabiliorem operari. Probat. min.: paucissimi inveniuntur rectæ momentorum, ex utraque parte pugnantium, discussioni, & majoris probabilitatis perquisitioni idonei; qui vero idonei sunt, quum datur operandi occasio, in discussione immorari sæpe non possunt; & qui immorantur, atque opinionum merita perpendunt, semper perplexitatibus, quas paulo ante dicebam, & dubiis torquebuntur, semperque timebunt, se sufficientem diligentiam in perpendendis rationibus, & Auctoribus non contulisse; sicque intolerabili oneri subjicerentur.

396. Ad hæc Gazzaniga num. 91. *Sane qui ita opponunt* (principium scilicet illud *In debito faciendi includitur debitum sciendi*) *statum quæstionis minime se tenere ostendunt*; *jam enim in hac controversia supponitur, unam opinionem apparere præ alia probabiliorem*.

397. Hæc Gazzaniga dixit immemor suæ propositionis, seu thesis, numero 44. præfixæ: sic illa habet: *Quum duæ sunt opiniones contrariæ æque probabiles in materia morum*, te-

tenemur tutiorem sequi: multoque magis, quum opinio tutior est etiam probabilior. In prima thesis istius parte, quæ, ut ipsemet Recentior ait, *præcipua est, & ex qua secunda pars perspicue fluit*, nulla majoris probabilitatis mentio fit, nulla suppositio, quum in illa solummodo agatur de opinionibus æque probabilibus: ergo si *in præsenti controversia supponitur, unam opinionem apparere præ alia probabiliorem*, tota quantacumque est illa prima, atque præcipua conclusionis pars divagabitur extra quæstionem.

398. Pars autem altera, nempe *multoque magis, quum opinio tutior est etiam probabilior* intactam relinquit illam particularem quæstionem, qua intra præsentem controversiam inquiritur, utrum liceat opinionem sequi minus tutam, sive libertati faventem, relicta favente legi, sive tutiore, quum illa probabilior est, ista minus probabilis.

399. In hac porro quæstione Probabilioristæ licitum esse affirmant opinionem minus tutam amplecti, quando ipsa probabilior tutiore est; & in hoc discrepant à Tutioristis, qui contendunt, semper esse tenendum quod tutius est, sive probabilius ipsum sit, sive æque, minusve probabile. Negant autem Probabilioristæ, licitum esse opinionem sequi minus tutam, quando probabilior non est, sed tantum est vel minus, vel etiam æque probabilis; & in

in hoc discrepant à Probabilistis, qui licitum esse ajunt opinionem sequi minus tutam dummodo solide sit probabilis, & sive probabilior sit, sive æque vel minus etiam probabilis, quam tutior.

400. Noster vero Theologus, qui se statum quæstionis tenere existimat melius, quam Suarezius tenuerit, de opinione minus tuta, & simul probabiliori, quam Probabilioristæ contra Tutioristas sequi permittunt, ne verbum quidem facit, sed eam ibi tantum statuit thesim: *Quum duæ sunt opiniones contrariæ æque probabiles in materia morum, tenemur tutiorem sequi; multoque magis, quum opinio tutior est etiam probabilior*, quam profectò thesim quilibet Tutiorista obviis ulnis amplectetur, suique nominis subscriptione firmabit.

401. Porro in præsenti *de Opinione probabili* controversia supponitur quidem, multiplices esse in materia morum opiniones, alias aliis probabiliores: hanc autem, vel illam particularem opinionem esse probabiliorem contrariâ, ex. gr. opinionem, quæ negat obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, probabiliorem esse, aut æque, vel minus probabilem, quam sit contraria, illam obligationem adfirmans, in præsenti controversia neque supponitur, neque decernitur, neque disceptatur, sed inquirendum relinquitur, quum oportuerit pro re nata; solumque decernunt

nunt Probabilistæ, posse nos licite sectari opinionem benignam, dummodo sit solide probabilis, sive probabilior sit, sive minus probabilis, quod non curant, sicuti tota retro antiquitate D. D. non curabant.

402. Quum igitur è contrario Probabilioristæ in præsenti controversia statuant, ac pro aris, focisque defendant, nemini licere juxta opinionem minus tutam operari, nisi eam ipse operans judicaverit probabiliorem, illi certe obligationem injungunt prius inquirendi, an opinio minus tuta, quam sequi meditatur, probabilior tutiore sit, an minus, vel æque probabilis; ut scilicet eam, si repererit probabiliorem, tutò, ac licite possit amplecti; si repererit vel minus, vel æque probabilem, abjiciat, *cautiusque vitet sanguine viperino*: ergo quum illam obligationem Probabilioristæ injungant, & sæpissime difficillimum sit dignoscere, quænam è contrariis opinionibus sit probabilior, an favens legi, an potius favens libertati; perquam optime Suarezius, & Probabilistæ statum quæstionis tenent, dum ex illo principio: *In debito faciendi includitur debitum sciendi* Probabilioristas redarguunt.

403. Præterea quum Superior subdito præcipit, quod subditus probabiliter esse censet illicitum, hoc tantum nomine nequit subditus sententiæ suæ inhærere, atque præceptum detrectare; sed quum certo non constat operis il-

illicitudo, acquiescere debet sententiæ superioris, actionem licitam judicantis, etiamsi superioris sententia subdito minus probabilis, quam sua, videatur esse. Sic unanimi consensione docent S. S. P. P., & T. T. cum S. August. (*a*) dicente: *Vir justus, si sub Rege, etiam sacrilego, militet, recte potest, illo jubente, bellare; si, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est*; & cum S. Bernardo sic Suos adhortante (*b*) *Ipsum* (Superiorem) *quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, quæ aperte non sunt contra Deum audire debemus*: ergo non semper actio accommodari debet opinioni, quæ ab operante probabilior existimatur.

404. Nec audiendi sunt Probabilioristæ, quum ajunt, debere tunc subditum, antequam operetur, rationes perquirere, quibus sententia sua esse sibi desinat, & Superioris opinio probabilior fiat. Etenim præterquamquod S. Hieron. (*c*), S. August. (*d*), Cassian. (*e*), Cæsar Arelat. (*f*), S. Bonav. (*g*) subditos, ut absque ulla præcepti discussione Superiorum jussionibus obsecundent, hortantur, quid si nec locus, nec tempus suppeteret discussioni?

O 405. Quid

(*a*) S. Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 75.

(*b*) S. Bernar. in lib. de præcep. cap. 12.

(*c*) S. Hieron. epist. 3. ad Rustic.

(*d*) S. Aug. apud S. Bonav. tom. 2. tract. Octo Collation. collat. 3. (*e*) Cassian. lib. 4. de instit. cap. 20 & 41.

(*f*) Cæs. Arel. homil. 8. (*g*) S. Bonav. in spec. par. 2. apc. 3.

405. Quid item, si, discuſſione facta, adhuc subditus opinionem suam præcipientis opinione probabiliorem inveniret? Deberetne tunc subditus vel eo tantum quod contraria sententia eſſet Superioris, eam probabiliorem suà statim censere? & quidem etiamſi Superior indoctus, & Sapientiſſimi eſſent D. D., quos subditus suffragari novit sententiæ suæ?

406. Si debet subditus veluti probabilius apud se statuere quidquid Superior autumat probabilius, opus erit, ut subditus, quum Superiorem Probabiliſtam habet, & ipse ſit Probabiliſta; dum habet Probabilioriſtam, Probabilioriſta quoque ſit; ſi poſt iſtum alter Probabiliſta ſufficiatur, oportebit ut subditus iterum se recipiat in Probabiliſmum. atque tertio quoque anno conscientiæ suæ dictamen, seu internam actionum suarum Regulam mutet.

407. Non debet subditus, mihi crede, rationes contrariarum illarum opinionum discutere, neque Superioris sententiam debet suà probabiliorem exiſtimare; sed tantummodo debet dictamen practicum, ſive judicium reflexum, & quidem non mere probabilius, sed plane certum efformare, quo apud se ſtatuat, eſſe Superiori obediendum, quandocumque, quod Ille præcipit, Div. legi clare non adverſatur.

408. Judicium autem iſtud efformari à subdito poteſt, & debet hac, vel ſimili ratiocinatione: *licitum eſt obedire, ac proinde obedire te-*

tenecor, quandocumque certum, & manifestum non est, actionem à Superiore præceptam esse illicitam, aut Div. legi contrariam: atqui tametsi probabilius mihi videatur esse illicitam, quæ nunc mihi jubetur, certum tamen, & manifestum non est, illicitam esse: ergo non obstante mea probabiliore sententia, licite possum, ac proinde debeo actionem injunctam exequi, ac Superiori obedire. Quum vero Probabilistæ simile huic judicium reflexum ad suæ probabilitatis usum omnino exigant, cur tantopere in illos Probabilioristæ commoventur.

§. III.

Probabiliorismi fundamenta evertuntur.

409. MUlta jam in antecessu pro occasione nata diruimus: quæ pauca supererant discutiamus: ac primum illud est, quod firmum solidissimumque reputant adversarii: *Inest*, ajunt cum Tullio (*a*) *mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi: neque nostræ disputationes*, ut alio in loco ipse Tullius scribit (*b*), *quidquam aliud agunt, nisi in utramque partem dicendo eliciant, & tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat*. Verum igitur omnes summâ curâ, studioque conquirimus, ut vel verum, vel quod vero proximius est, assequamur, eique vitæ nostræ rationes conformemus juxta illud Aristot. placitum (*c*) dicentis *veritatem debemus inquirere, & sequi, quantum possumus*. Quum verum itaque invenire non possumus, id, quod ad verum quam proxime accedit, debemus amplecti: atqui è duabus contradictoriis opinionibus, quarum altera minus, altera magis sit probabilis, probabilior quam pro-

(*a*) Cic. lib. 5. Tusc. Quæst.
(*b*) Idem lib. 4. Academ. Quæst.
(*c*) Arist. in 1. Ethic.

Digitized by Google

proxime ad verum accedit: ergo huic actionem conformare debemus.

410. Resp. dist. 1.um conseq.: quum verum invenire non possumus, id, quod ad verum quam proxime accedit, debemus amplecti, si illud invenerimus, conc.; si neque illud invenerimus, quod sane nullibi inveniri reapse potest, nego cons.: & nego etiam min. subsumptam. Namque opinio probabilior, quum reapse esse necessario debeat vel vera, vel falsa; esse nequit proxima vero: si enim falsa reapse est, vero proxima non est, sed summe à vero distat; si vera, non proxima vero est, sed vera, aut verum ipsum. Unde qui sequitur probabiliorem, necessario sequitur aut verum, aut falsum, non autem quod proxime accedit ad verum.

411. Latére non potuit Tullium Sapientiss. Virum, quod cuivis de Trivio Philosopho notum est, scilicet neque concipi mente, neque verbis proferri posse ullam propositionem, sive sententiam, quæ nec vera, nec falsa sit, sed proxima vero; quippe nullum unquam medium Philosophi inter verum, & falsum in enunciationibus adinvenerunt, nullumque inveniri posse pro certo statuunt. Tullius igitur vero proximum à vero distinguens, communi hominum loquendi modo sermonem suum accommodavit, verumque dixit, quod verum esse certo cognoscimus; vero proxi-

O 3 mum,

mum, quod esse verum probabilius existimamus. Nequidquam ergo Probabilioristæ majoris suæ probabilitatis ad verum viciniam causantur; quisquis enim negat, debere nos, quando verum nescimus, probabilius amplecti, negat itidem debere amplecti, quod proximum est vero; quum vero proximum, seu proxime accedens ad verum, idem ac probabilius sit.

412. Neque probabilius amplectendo, inquireremus, quantum possumus, veritatem, prout Aristot. præcipiebat: quid enim est juxta Probabilioristas ipsos probabilius amplecti? certe nihil est aliud, quam juxta opinionem probabiliorem operari; quum autem juxta opinionem probabiliorem operamur, utrum vera ea sit, an falsa, jam non inquirimus, imo tunc omni prorsus veritatis, quam in quæst. directa quærebamus, investigatione supersedemus: quippe ad licite operandum satis est nobis opinionem sequi probabiliorem, vel solide probabilem, quin nostra jam intersit, sitne illa reapse vera, an falsa, quod invenire non potuimus.

413. Neque item amplectendo probabilius veritatem sequimur potius, quam amplectendo minus probabile: tum quia eodem Aristot. teste, prout communiter perhibetur, *nonnumquam falsa probabiliora sunt veris*, & teste

S. An-

S. August. (a) *credibilia nonnulla falsa sunt, sicut incredibilia nonnulla sunt vera*, ita ut fieri quam facillime possit, ut probabilius sequentes, falsum sequamur, & verum sectemur, minus probabile sectantes: tum etiam quia sequi veritatem possumus, nec tantum sequi, verum & assequi, quin probabilius operatione compleamus, efformando videlicet judicium reflexum, practicum, certo verum, cui operationem conformemus.

414. Aliò se vertunt Probabilioristæ, & in hunc modum argumentantur: recte operari eum, qui opinionem minus probabilem, minusque tutam operando sequitur, relicta tutiore, & probabiliore, incertum est, neque constitit inter omnes, quum affirment Probabilistæ, & negent Probabilioristæ: recte operari eum, qui tutiorem, probabilioremque operando sectatur, minus tuta, ac probabili opinione rejecta, omnino certum est, & utriusque partis consensu inter omnes constat: atqui prudentis est, præsertim in gravissimo æternæ salutis negotio, quod certum est, & inter omnes constat, amplecti; quod incertum est, & solum constat inter aliquos derelinquere; istud vero eligere, & illud aspernari hominis est imprudentissimi: ergo semper a Viro prudente præponi debet minus probabili, quod probabilius est.

(a) S. Aug. epist. 153. cap. 6.

415. Hoc sane argumentationis genere; quo permotus Henric. IV. Galliar. Rex Calvinianæ Sectæ nuncium misisse dicitur, uti solemus, ut Calvinianum, aut cujusvis alterius sectæ hæreticum e suis ad Catholicorum partes trahamus. Calvinianis omnibus, inquimus, atque Catholicis certum est, posse quemque, Catholicæ doctrinæ insistendo, æternam vitam adipisci; posse vero eam assequi Calviniana dogmata sectando, negant Catholici, soli Calviniani asseverant: atqui, in æternæ salutis negotio aliquorum judicio, judicium omnino omnium imprudentissimus non præponit: ergo imprudentissimus non præponat doctrinam Catholicam Calvinianæ. Quidni ergo simili ratiocinatione utamur in re nostra?

416. Præterea quivis non minus, sed imo magis, & multo magis solers, ac diligens esse debet in his, quæ animæ salutem spectant, quam quæ salutem corporis: atqui quum de corporis salute agitur, nemo prudens quod probabilius est contemnit, & illi minus probabile anteponit; nemo pharmacum sumit, quod probabilius censet fore nociturum, quamvis probabiliter autumet proficuum fore; nemo navi se committit, quam probabilius judicat esse perituram, quamvis non perituram esse probabiliter arbitretur: ergo nemo prudens probabiliorem non præferat minus probabili.

417. Resp.

417. Resp. egregie quidem hæc excogitari, ac dici, ut Tutiorismus in imperitorum animos ſeſe inſinuet. Porro in concurſu duarum opinionum, quarum altera minus tuta eſt, & probabilior, altera tutior, & minus probabilis, omnes, & Tutioriſtæ, & Antitutioriſtæ recte operari illum adfirmant, qui juxta tutiorem operatur; illum vero, qui juxta probabiliorem minus tutam operatur, recte operari, ajunt Anti = tutioriſtæ, Tutioriſtæ negant: ergo ſi imprudens eſt, qui communem omnium ſententiam non anteponit ſententiæ non communi, imprudens erit, qui Tutioriſtis non conſentiat.

418. Præterea in his, quæ corporis ſalutem ſpectant, imprudens uteretur opinione minus tuta, etiamſi hæc probabilior eſſet, relicta tutiore, nullusque, puto, Probabilioriſta pharmacum deglutire volet, quod probabiliter judicat eſſe mortiferum, quamvis probabilius exiſtimet eſſe innoxium: ergo in his, quæ corporis ſalutem ſpectant, tutius præponi debet etiam probabiliori: ergo multo magis in his, quæ ſpectant animæ ſalutem: ergo ſemper in concurſu cujuſcumque alterius opinionis, etiam probabilioris, tutior tenenda erit, prout dogma fert Tutioriſtarum.

419. Omnes profecto & Probabilioriſtæ, & Probabiliſtæ fatentur, licite eum operari, qui juxta probabiliorem operatur; eum vero qui juxta minus probabilem, minusque tutam ope-

operatur, licite operari, non omnes, sed soli Probabilistæ censent. At vero omnes pariter & Probabilistæ, & Probabilioristæ opinionem illam minus probabilem solide probabilem esse præsupponunt, quum non de alia opinione disputent; hac autem vera, & solida probabilitate communi omnium consensu supposita, locus est judicio reflexo prudentissimo, ac certo, ex quo Probabilistæ non jam mere probabilem, sed certam operationis licitudinem hauriunt.

420. Illa sane argumentatio, qua adversus Calvinianos utimur, idcirco apta, & efficax est, quia dum omnes & Catholici, & Calviniani doctrinam Catholicam ad æternam salutem capessendam idoneam esse unanimiter sentiunt; non omnes tamen sentiunt, esse quoque idoneam, & sufficientem Calvinianam; quum istud Catholici prorsus negent: si enim Catholici concederent, quoque sectam Calvinianam, licet minus, esse tamen ad salutem idoneam, vim suam omnem amitteret argumentatio; namque facile Calvinianus, responderet, suam quoque doctrinam esse communi omnium consensione ad salutem idoneam; siquidem Catholici, quamvis eam minus idoneam dicant, esse tamen idoneam non diffitentur.

421. Omnes quidem opinionis probabilioris sufficientiam, seu idoneitatem ad licite operandum unanimiter concedunt; opinionis autem

tem minus probabilis, ac tutæ ad recte operandum idoneitatem negant utique Probabilioristæ: quum vero solidam ipsius opinionis probabilitatem non negent; neque negare possint, in hac ipsa solida probabilitate idoneitatem, quam negabant, concedunt præter intentionem; nam solida illa probabilitas satis est, ad efformandum certum practicum reflexum judicium, quo ex sæpe dictis in tuto ponitur operationis licitudo hoc vel simili pacto: *Impossibile est prudentem esse aliquem, quin sit bonus*, ut Aristot. ajebat (*a*): ergo quisquis prudenter operatur, bene, seu licite operatur: atqui prudenter operatur, quisquis opinionem solide probabilem sequitur, ut probatum est: ergo quisquis reflexo suo judicio ductus, opinionem solide probabilem operando sequitur, licite proculdubio operatur.

422. Rem explico alio exemplo: qui intendens finem medium incertæ utilitatis, seu quod alii utile, alii inutile ad finem arbitrantur, seligeret, mediumque certo utile, atque sufficiens ab omnibus existimatum, contemneret, imprudens profecto audiret, præsertim si prius non evinceret, errasse illos, qui medii inutilitatem asserebant. Qui vero, finem intendens, medium aut jucundius, aut facilius, quod opinione omnium esset utile, atque sufficiens, ac tale etiam esse comprobaretur, adhiberet,

quam-

(*a*) Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 14.

Digitized by Google

quamvis utiliora, & efficaciora despiceret, imprudens teste S. Tho. (*a*) non esset.

423. Haudquaquam inficior, quemvis magis æternæ salutis, qnam temporariæ debere satagere, sive ita animo comparatum esse, ut quando alterutra esset amittenda, hanc potius, quam illam parvipenderet. In id quoque concedo, debere scilicet virum prudentem, quum de corporis salute agitur, quod minus probabile est probabiliori posthabere; nego tamen, similiter se gerere debere virum prudentem, quum agitur de animæ salute.

424. Ratio disparitatis est, quia pharmacum corpori nociturum esse, vel non nociturum non dependet à judicio sumentis illud, sed à sola ipsius pharmaci natura, vel conditione, quæ, si mortifera est, quidquid illud sumens opinetur, nocebit: è contra vero actionem nocituram animæ esse, aut illicitam, vel non nocituram, seu licitam, à judicio, sive conscientia dependet operantis, cui vitio verti non potest operatio, quandocumque prudenter, ac certo existimat, eam sibi licere: qui ergo juxta opinionem solide, licet minus probabilem operatur, dummodo ex sæpius explicato reflexo certoque judicio operetur, animæ suæ saluti satis hac in parte consulit, & æque securus, ac tutus esse potest, ac si alteram opi-

(*a*) S. Tho. 1. 2. qu. 13. ar. 6. ad 1.

opinionem probabiliorem, quæ tutior dicitur, ſectaretur.

425. Præclariſſime Suar. (*a*) docet: *tunc* (quum quis juxta ſolide, tametſi minus probabilem operatur) *re vera non eſt contraria pars tutior in ordine ad conſcientiam, neque ibi eſt aliquod dubium practicum, nec periculum*: & alibi (*b*) *eo ipſo quod opinio* (vere ac ſolide) *eſt probabilis ſufficit ad aſſenſum practicum moraliter certum, & conſequenter ad tollendum omne periculum, ac proinde non poteſt altera pars proprie dici tutior; utraque enim eſt omnino tuta*: & alibi (*c*) *Neque tunc* (quum in dubio ſequimur benigniorem) *omittitur pars tutior, quia hæc eſt tutiſſima, & practice certa, & ſecundum rectam rationem, & interpretationem poteſt dici tutior, quia majus periculum animarum incurreretur, ſi tot vincula in caſibus dubiis eis injicerentur*.

426. Denique ne quidpiam eorum, quæ commemoratione digna videntur, ſilentio prætercam, annectam hic, quod in edit. Bonon. ſuæ Prælectioni adjunxit Gazzaniga. Is itaque in ultima Bononienſi edit. num. 89. ſic ſcribit: *Illudunt Probabiliſtarum nonnulli, contendentes, in caſu duarum propoſitionum æque probabilium rem non eſſe dubiam, ſed probabi-*

(*a*) Suar. in 1. 2. trac. 3. diſp. 12. ſec. 6. nu. 8.
(*b*) Idem diſp. 40. de Cenſur. ſec. 5. nu. 6.
(*c*) Idem tom. 2. de Relig. trac. 5. lib. 2. cap. 3.

bilem, quam ex prudentiæ regulis ſequi poſſumus.

427. In nota autem ad eumd. cit. num. *Egregie de more Eminen. Gerdilus, poſtquam in Orat. De cauſis Academicar. Diſputationum in Theol. Moral. inductarum, in his rebus diligenti deliberatione opus eſſe, oſtendit, ſubdit = Quis autem ad eam deliberationem non ſummopere cupiat prudentiam, & æquitatem quaſi conſiliarios, & diſceptatores adhibere? Quodſi prudentia præerit judicio, perſpiciet ea ſane, quæ ſit prior ratio, & præſtabilior. Eſt enim hæc vis prudentiæ. Et ſi prudentiæ aderit æquitas in judicio, adſtringet judicium ad eam rationem, quam prudentia ſuperiorem dixerit. Hoc etenim eſt munus æquitatis. Quiſquis autem prudentiam, & æquitatem ſectari voluerit, quid ei faciendum eſt, quam ut imitari ſtudeat, quod ipſæ, prudentia, & æquitas vi ſua facerent, ſi adeſſent, nimirum ut diligenter inveſtiget, quæ ſit ratio præſtabilior, & quam præſtare cognoverit, aſſenſu ſuo comprobet =*.

428. Et alibi in ead. Bonon. Edit. alia ejusdem Emin. Gerdili verba, ex ipsa cit. orat. deprompta, produxit, videlicet: *Sane nec ratio ipſa, nec probitas ſinit, ut quam quiſque ſententiam tali judicio, & aſſenſu complexus eſt, ſibique ſequendam, & contrariæ præferendam ſtatuit, eam alios doceat contrariæ poſt-*

po-

ponere. Hæc in duabus primis edit. Cl. Gazzaniga eo certe non tradit, quod elegantissimæ illius Orat. notitiam nullam habuisset, si enim notitiam prius habuisset illius Orat., tanti Viri auctoritatem nequaquam prætermisisset, qui omnia undique collecta contra Probabilismum agglomerabat.

429. Resp. ad primum: si Probabilistæ, illa docentes illudunt, illusit S. Tho., a quo illi didicerunt, in casu duarum propositionum æque probabilium hominis intellectum *hærere* quidem *dubium*, *in neutram partem declinare*, *neutri assentiri*, sed *inter utramque fluctuare*, quod proprie dubitantis est: accedente vero voluntatis impulsu versus unam contradictionis partem *propter aliquam rationem*, *qua pars ea emineat*, *licet secundum aliam rationem* ambæ contradictionis partes proponantur æquales, accedente inquam illo voluntatis impulsu, S. Thoma doctore, didicerunt, *intellectum declinare in unam partem magis quam aliam*, *eique assentiri*, *cum aliqua tamen* (improrie dicta) *dubitatione*, *seu formidine alterius partis*, quod opinantis proprium est. Vide dicta à nu. 13. usque ad 33., ubi hanc S. Thomæ doctrinam articulatim exposui, eam perlegas oro, ut intelligas, aut S. Thomam illusisse, aut Probabilistas non illudere, quando contendunt, in casu duarum propositionum solide probabilium rem in qu. directa nemini esse proprie du-

dubiam ; sed cuique probabiliter veram, & solida quidem probabilitate ; quum nullus Theologorum in disputatione directa inter utramque partem fluctuet, quod dubitare est ; sed omnes uni adhæreant, quisque nimirum suæ, quamvis adhæreant cum alterius partis formidine, quod est opinari.

430. Ad secundum, quæ Card. Gerdili, tam doctrinà, & omnigena eruditione, quam Dignitate Eminentissimi, sententia erat, dico, deliberationem, quam in rebus morum utrimque solide probabilibus Probabilistæ requirunt, hac vel simili ratione efformari = Quod prudenter judico mihi licere, mihi certo licet, idque dictant *æquitas*, *&* *prudentia*, quæ ad licite operandum prudentissimum, aut prudente prudentius judicium nec postulant ; nec postulare ab hominibus possunt, quibus difficillimum ferme est illud adinvenire. Atqui actionem, de cujus prohibitione disceptatur, prudenter judico mihi licere ; namque opinio, adserens actionem licere, utpote solidis rationibus, gravique D. D. auctoritate suffulta, etiamsi minus probabilis supponatur, nequit à viro *prudenti*, *&* *æquo* imprudens reputari. Ergo mihi operatio, de cujus prohibitione controversantur D. D., juxta *prudentiæ*, *&* *æquitatis* regulas certo licet = Quisquis autem hac ratione deliberat, omnes apprime *prudentiæ*, *&* *æquitatis* leges servat in deliberando ; nec

nec tam præstare, *quod illæ præstarent, si adessent*, dici debet, quam eisdem, astantibus, & assistentibus consentire.

431. Ille quidem diligentissime prius investigavit, quænam esset *ratio præstabilior*? illane, quæ docet, nunquam licere opinionem minus tutam minusque probabilem sectari? an altera potius, quæ docet, sæpissime istud licere? Et quum, *adhibitis prudentia, & æquitate, quasi consiliariis, & disceptatoribus*, longissime *præstabiliorem* Probabilismi rationem, & auctoritatem cognovisset, quam Probabiliorismi, prout tota hac Dissertatione demonstratur, illum *assensu suo comprobare*, istum respuere deliberavit, & illud, quod num. præced. retuli, prudentissimum efformavit judicium.

432. Ad alteram ejusd. Emin. Gerdili sententiam quod attinet, ut nihil difficultatis arcere videar, aut effugere, Theologum in medium producam, qui in qu. directa stet pro lege, & actionem adserat non licere; in qu. autem reflexa stet pro libertate, & adserat, actionem licere. Omnino: ea est, inquis, Probabilistarum incohærentia, & perfidia, qua licere docent etiam illud, quod ipsi sentiunt non licere. Sed, oro te, cunctanter loquamur, non abrupte.

433. Quid sentit, ac docet ille Theologus in qu. directa, ex. gr. *An liceat pingere in die*

 fe-

festo? Quum stet, ut diximus, pro lege, & contra libertatem, sentit, ac docet pingere non licere, idque etiam probabilius arbitratur, nam in qualibet qu. quisque Theologus illam partem seligit propugnandam, quæ inter inæqualiter probabiles sibi videtur probabilior. In qu. igitur proposita probabilius tenet, & docet ille Theologus, nequaquam licere pingere in die festo: quia scilicet, quum actio pingendi secum necessario ferat creberrimum digitorum, manus, & brachii motum, capitis etiam totiusque corporis modo huc, modo illuc conversionem, quod diu peragi sine defatigatione non potest, atque item illa omnis opera à pictore præstetur pro mercede, vel lucro, quod genus est quoddam mercimonii; actionem reputat plane servilem, & consequenter prohibitam in die festo. Num Theologus is hac in qu. recte, an sinistre opinetur, nihil interest nostra, quum tantum agamus de incohærentia, & perfidia.

434. Quid sentit, ac docet ille Theologus in hac alia quæst. qua quæritur, num liceat juxta opinionem minus tutam, minusque probabilem operari? Re vera objecta nobis sententia fallit hac in parte: namque nullus Probabilistarum in proposita qu. docet opinionem probabiliorem, vel suam, vel alienam postponere minus probabili, ac tutæ; quin imo omnis Probabilista semper consulit opinionem pro-

Digitized by Google

probabiliorem contrariæ minus tutæ; atque probabili anteferre, & ad illam isti præponendam hortatur; nec unquam negat opinioni probabiliori, ut S. Anton. sup. cit. verbis utar, *meriti* majoritatem, sed tantum negat *neceſſitatem*, seu obligationem eam alteri anteponendi.

435. Quemadmodum ergo S. Paulus (*a*), docet: *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit*; & *qui non jungit, melius facit*: ita Probabilista docet: qui opinionem minus tutam, minusque probabilem, solide tamen probabilem præfert probabiliori, bene facit, licite operatur; melius autem faceret, si probabiliorem præferret: & ut S. Paulus, docens licitum esse non servare virginem suam, sed eam matrimonio jungere, neminem docuit virginem suam non servare, sed eam jungere matrimonio; sic Probabilista quivis, docens licitum esse opinionem probabiliorem postponere minus probabili, neminem docuit illam isti postponere.

436. Accitus igitur ille Theologus, utpote qui cum Probabilistis stat pro libertate, ad qu. secundo lòco propositam tantummodo respondet, licitum esse juxta opinionem minus probabilem ac tutam operari contra probabiliorem: & ex. gr. licitum esse pingere in die festo contra suam illam opinionem, quam in

P 2 qu.

(*a*) Apost. 1. cor. 7.

qu. directa probabiliorem arbitratur: Ita sentit, ac docet, quia scilicet in compertissimis habet, nec suam opinionem illam directam esse certam, sed tantum probabilem; nec certum esse, sed tantum probabile, actionem pingendi esse servilem; & consequenter neque certum esse, sed tantum probabile pingendi actionem in die festo prohiberi: atque ex hac incertitudine prohibitionis infert actionis licitudinem, Sac. Canonibus innixus, qui Bened. XIV. sup. cit. interprete, constanter decernunt, *onera*, *& ligamina imponi hominibus non debere, nisi quum adest clara lex.*

437. Quæ quum ita sint, absque ulla rectæ *rationis*, *& probitatis* jactura asserere potuit ille Theologus in qu. directa non licere rem, & in reflexa rem licere, propter diversitatem videlicet principiorum, vi cujus cohærentissime dici potest non licere pingere in die festo attentâ actionis naturâ, quæ servilis existimatur; & attenta opinionis istius, & prohibitionis incertitudine, licere. Sic matrimonium inter consanguineos in tertio gradu attento Jure naturali licet; & non licet, attento Jure positivo: sic mendacium attentâ ipsius naturâ non licet; & licet, quando conscientia invincibiliter erronea dictat obligationem mentiendi: sic duarum præbendarum retentio (quod exemplum est S. Tho.) attentâ Sac. Script. certo licet, quia in Sac. Script.

cla-

Digitized by Google

clare, & expreſſe illa non prohibetur; attenta D. D. auctoritate, & ratione, nec certo licet, nec certo non licet, ſed utrumque probabiliter ob Juris, & Theologiæ Peritorum diſſidia; & attentâ Probabiliſtarum ſententiâ, certo licet, quandocumque certo non conſtat prohiberi, quum vero conſtat prohiberi, uti conſtat poſt Trid. (a), certo non licet. Evanuit ergo propter diverſitatem principiorum omnis Probabiliſtarum incohærentia, & perfidia. Ipſorumque dogma verum perſtat, & inconcuſſum.

(a) Trid. ſeſſ. 24. cap. 17.

CAPUT IV.

Proponitur, & refellitur Tutioristarum opinatio.

438. TUtiorismus, seu Rigorismus (in idem enim ambo recidunt) eo sic appellari solet, quod ejus Fautores, Tutoresque pro virili parte contendant, in duarum contrariarum opinionum conflictu semper rigidiori, & tutiori, quæ pro lege, & contra libertatem est, hominum actiones conformati debere, ac nemini fas esse operari ad benignæ, seu libertati faventis, seu minus tutæ opinionis amussim; idque tametsi opinio minus tuta æque probabilis sit, aut longo etiam intervallo opinioni tutiori probabilitate præcellat. Sectæ istius historicam pariter synopsim describam: adserta refellam: fulcimenta dissolvam.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Historica Tutiorismi synopsis.

439. QUamquam verè aliquid, imo multum Tutiorismi apud Antiquos inveniatur, ut apud Montanistas, & Tertullianum, quem Rigorismus suus in apertos, turpissimosque errores præcipitem egit, & apud Pelagianos etiam, ut nu. 50. & seq. supra diximus; tamen dici non immerito potest Tutiorismus Lovanii post Cornel. Jansenii mortem, quæ an. 1638. contigit, fuisse ortum, vel, si mavis, resurrexisse; quum videlicet Fromondus, & Calenus D. D. Lovaniens., aliique Jansenio necessarii editioni libri, cui titulus *Augustinus*, clandestinam operam dabant, & doctrinam, in illo contentam, quaquaversus disseminare meditabantur.

440. Animadverterunt scilicet, illud præsertim Jansenianum dogma, quo (*a*) *aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus esse impossibilia* dicuntur, in hominum animos invehi quam facillime posse, si semel illi anteceptam persuasionem abjiciant, qua minus tutam opinionem sectando Div. præceptis satisfacere, & esse se peccati

 pror-

(*a*) Jansen. In Opere *Augustinus* tom. 3. lib. 3. cap. 13.

prorsus immunes arbitrantur; hac autem exſtimatione permanente, omnem Jansenianis placitis aditum permanere interclusum: ut igitur prædicto Jansen. dogmati, quæ prima est è V. damnatis ab Innoc. X. (*a*) Alex. VII. (*b*) & Clem. XI. (*c*) propositionibus viam sternerent, illam hominum persuasionem funditus obliterare constituerunt.

441. Id consilii duobus potissimum machinamentis aggressi sunt, diffamatione nimirum illiusmodi sententiæ, eam veluti laxam, flagitiosam, Evangelicæ morum doctrinæ dissentaneam, planeque adversam traducendo, prout nostris adhuc temporibus schismatica Ultrajectens. Ecclesia traduxit (*d*): ac insuper zeli simulatione apud imperitum vulgus declamando, eum, qui probabilitati, quantacumque ea sit, acquiescens, operatur, se infringendi legem periculo exponere, peccare; neminem, dum probabilem, aut probabiliorem minus tutam sectatur, esse securum posse, quum ipse, ne juxta legem non agat, ne Deum offendat, formidet. Hac æqui bonique fucata specie indoctos circumvenire decrevere, ut prima abs se persuasione abjecta, supradicto Jansen. dogmati consentirent, ac sensim sine sensu in reliqua omnia prolaberentur. 442. Tu-

(*a*) Innoc. X. die 31. Maii 1653.
(*b*) Alex. VII. die 16. Oct. 1656.
(*c*) Clem. XI. die 16. Jul. 1705.
(*d*) Synod. Ultraject. an. 1764.

442. Tutiorismus igitur patrià Lovaniensis, è intimis Jansenismi visceribus circa anno 1639. natus, aut renatus, atque summa deinde Jansenianorum sollicitudine enutritus, ad annum usque 1690. præsertim in Galliis adolevit: illo autem anno ab Alex. VIII. perculsus, bonis omnibus, atque Catholicis hominibus quinquagenarius interiit; quum nempe SS. ille Pont. (a) inter alias hanc ordine tertiam proposit, damnavit: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam*.

§. II.

(a) Alex. VIII. die 7. Dec. 1690.

§. II.

Tutioristarum opinatio refellitur :

443. JUxta illud Alex. decretum sequi opinionem licet inter probabiles probabiliſſimam : atqui non raro opinio favens libertati, ſive minus tuta cunctis reliquis contrariis opinionibus longe probabilior est, atque probabiliſſima : ergo juxta decretum Alex. sequi non raro licet minus tutam opinionem relicta tutiore, periitque Tutiorismus.

444. Negant min. Tutioristæ, ac contendunt, opinionem minus tutam, sive libertati faventem, vel eo tantum quod minus sit tuta, non modo probabiliſſimam ad operandum non esse, verum neque probabilem, sed omni prorsus probabilitate destitui: ita ut vel ipsa illa opinio, quæ docet, ſufficere attritionem ad justificationem in Sacramento, quia minus tuta, seu favens libertati per se est, improbabilis ipsis videatur, non obstante definitione Tridentini (*a*), quam cuniculis moliuntur eludere, ne dicant, Conc. rem improbabilem definiviſſe.

445. Nequidquam illi tamen, & imperite, & perperam ista comminiscuntur. Si enim opinio minus tuta eo ipso improbabilis ad operan-

(*a*) Trid. ſeſs. 14. cap. 4.

randum evadit, nulla erit opinio ad operandum probabilis præter tutiorem, atque illa propositio ab Alex. damnata hunc sensum præ se feret: *Non licet sequi* (ad operandum scilicet, agitur enim de licitudine operationis) *Non licet sequi opinionem inter tutiores improbabilem*, quandoquidem sola tutior probabilis adversariis est, & omnes minus tutæ sunt ad operandum improbabiles: istud autem & evidenter implicatorium est, & à nemine unquam post hominum memoriam prolatum est: cuinam ergo Alex. succensuit? utquid propositionem à nemine adsertam, & ne mente quidem cogitatam proscripsit?

446. Omnes profecto & Tutioristæ, & Anti = tutioristæ in hoc unanimiter conveniebant, omnes licere ajebant opinionem tutiorem minus tutæ operando anteponere; atque in hoc dumtaxat studiis, sententiisque dissociabantur, quod Anti = tutioristæ concederent posse quidem, sed non debere tutiorem minus tutæ semper præponi, neque eum, qui juxta minus tutam, relicta tutiore, operatur, semper peccare: è contrario vero Tutioristæ adfirmarent, tutiorem non solum posse, verum debere etiam semper præponi minus tutæ, ita ut semper peccet, quisquis juxta minus tutam, etiam probabilitate præcellentem agat.

447. Propositio igitur illa tertia, à Sinnichio Doct. Lovan. in suo Saule Ex = Rege

ge (*a*) prolata, hunc sensum proculdubio præseferebat: *Non licet sequi opinionem etiam inter probabiles probabilissimam, nisi sit tutior, quum sequi non liceat nisi tutiorem*: in hoc sensu fuit ad Alex. delata, & in eodem ab Alex. confixa: licet ergo opinionem inter probabiles probabilissimam sequi, etiamsi tutior ipsa non sit.

448. Post Alex. VIII. decretum nonnulli Tutioristæ, ne veluti Pontificiæ Constitut. refractarii haberentur, rigorem suum aliquantulum remiserunt, & sequi posse opinionem minus tutam, quandocumque agatur de præcepto Ecclesiastico, vel humano, humanissime indulserunt: quandocumque verò agatur de naturali, vel Divino, suæ pristinæ severitati institerunt, ac soli tutiori etiam minus probabili acquiescendum esse existimarunt; quia scilicet periculo peccandi se exponeret, qui opinioni minus tutæ etiam probabiliori operationem conformaret.

449. Itane vero? quandocumque agitur de naturali, vel Divino præcepto, juxta minus tutam etiam probabiliorem operari non licet? At undenam hæc tunc obligatio sequendi tutiorem? Ex ipsa, inquiunt, lege naturali, quæ peccandi periculum avertendum semper esse præscribit.

450. Præ-

(*a*) Sinnic. *Saul Ex Rex* lib. 1. cap. 27.

450. Præscribit utique lex naturalis, ut omne proximum peccandi periculum avertatur: at proximum, vel etiam remotum adesse peccandi periculum, quum opinio minus tuta solide probabilis tutiori præfertur, lex naturalis nusquam docet, nusquam iterum dico; quod enim lex naturalis dictat, à plerisque omnibus hominibus ignorari nequit; periculum autem illud tunc adesse soli Tutioristæ noverunt, reliqui omnes omnium Nationum tam docti, quam indocti homines non agnoscunt.

451. Præterea ideo juxta Tutioristas non licet opinionem minus tutam etiam probabiliorem sequi, quum agitur de præcepto Naturali, aut Divino, quia præceptum istud, quod à minus tuta non adesse dicitur, forsan adest, sicque operans juxta minus tutam periculo peccandi contra præceptum naturale, vel Divinum se exponeret: atqui quum agitur de præcepto Ecclesiastico, vel humano, similiter fortassis istud adest, quamvis ab opinione minus tuta adesse negetur, sicque juxta opinionem minus tutam operans, æque se periculo exponeret verum præceptum humanum, vel Ecclesiasticum transgrediendi: ergo si sequi minus tutam non licet, quum agitur de præcepto naturali, vel Divino, neque licebit, quum agitur de Ecclesiastico, vel humano: seu è contrario si licet, quum agitur de Ecclecle-

clesiastico, vel humano, quoque licebit, quum agitur de naturali, vel Divino.

452. Ad hæc disparem ajunt adversarii rationem esse: quippe lex naturalis, atque Divina aut nequit ab ullo homine invincibiliter ignorari; aut si ignorari potest, ejus invincibilis ignorantia excusare hominem à culpa non potest: lex autem Ecclesiastica, vel humana potest invincibiliter ignorari, ejusque invincibilis ignorantia à peccato hominem excusat.

453. Contra vero & in primis ratio discriminis allata Divin. legem positivam, v. g. quæ rem Sacramentariam spectat, non complectitur, siquidem ista certè ignorari ab homine invincibiliter potest, sicut humana, & Ecclesiastica. Quis enim credidit, aut credet *sine prædicante?* quærebat Apost. (*a*), quis didicit unquam, aut discet sine docente quæcumque Christus Dominus ad digne suscipienda Sacramenta præcepit? Sicut autem deesse cui potest alicujus legis Ecclesiasticæ prædicator, & doctor, ita & alicujus etiam Divinæ legis: ergo ut illi tunc esset legis Ecclesiasticæ invincibilis ignorantia, & transgressio inculpabilis; sic isti invincibilis esset Divinæ legis ignorantia, & inculpabilis transgressio ob parem doctorum, aut prædicatorum penuriam.

454. Deinde quod ad legis naturalis invinci-

(*a*) Apost. ad Rom. 10.

cibilem ignorantiam attinet, S. Tho. (*a*) sapienter distinguit, & docet: *Lex naturæ*, inquit, *quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes etiam ut in pluribus; sed ut in paucioribus potest deficere, quantum ad notitiam; sicut apud Germanos latrocinium olim non reputabatur iniquum, quum tamen sit expresse contra legem naturæ*: cui Germanorum exemplo alia aliorum accesserunt, ut Durandi, Cassiani, Moruli, imo & S. Augustini apud Domin. Viva (*b*). Præfatam S. Tho. doctrinam plerique omnes T. T. amplectuntur, ac eorum non pauci cum La Croix (*c*) confixum jam fuisse putant à Sede Apost. inter alios hunc quorumdam D. D. Lovanien. articulum *nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine: dum hic & nunc contra jus naturæ agit*. Vide SS. D. N. PII VI. novissime editam, ac celebratissimam Constit., quæ incipit *Auctorem fidei* §. *Ad id genus fraudis* (*d*), ex quo satis clare deducitur reprobatum cum aliis Romæ illum articulum vere fuis-

(*a*) S. Tho. par. 2. qu. 94. art. 4.

(*b*) Viva in expos. prop. 2. inter damnat. ab Alex. VIII. §. 2.

(*c*) La Croix lib. 1. nu. 726.

(*d*) PIUS VI. Constit. *Auctorem fidei* die 28. Aug. 1794.

ſuiſſe ; & tantum neceſſariam viſam non fuiſſe judicii promulgationem, quia nempe ex aliàs promulgatis jam illi articuli damnati intelligebantur.

455. Quod ſpectat ad alterum, neſcio qua fronte poſſit affirmari, ejuſdem legis invincibilem ignorantiam excuſare à peccato ignorantem non poſſe, poſtquam damnata ab Alexan. VIII. fuit hæc ordine 2. prop. (a): *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex illa non excuſat à peccato formali*; his autem omnibus illa Tutioriſtarum reſponſio prorſus adverſatur.

456. Et denique hypotheſim conſtituamus: da, uſuram jure naturæ prohiberi, teque de contractu celebrando cogitare, quem probabilior ſententia uſurarium non eſſe docet, nec lege naturali prohibitum ; alia minus probabilis uſurarium, ac lege naturali vetitum eſſe affirmat : hæc certe opinio, quæ pro lege eſt, tutior eſt, quamvis minus probabilis ; illa, quæ contra legem, ſeu prohibitionem, minus tuta eſt, quamvis probabilior. Quæro abs te, ignoraſne legem naturalem prohibentem uſuras ? non ignoro, inquis, & neque poſſum invincibiliter ignorare, ita enim nuper aſſerebas. Scis itaque, & ignorare nequis, uſuram lege naturali vetitam eſſe ; at neſcire po-

(a) Alex. VII. die 7. Decemb. 1690.

potes, & admodum nescis, utrum contractus iste, quem inire cogitas, ab illa lege prohibeatur, quum contractum istum esse usurarium non scias, sed tantum probabiliter opineris, & quidem minori probabilitate. Aliud igitur est usuram esse lege naturali prohibitam, & aliud longe diversum est, hunc contractum, de quo agitur, esse usurarium: primum ita certum est tibi, ut ne posse quidem ignorare illud adseras; secundum incertum tibi prorsus est, quum esse usurarium contractum non scias, sed suspiceris.

457. Jam vero si loco præcepti naturalis Ecclesiasticum ponas, & inter similes opiniones verseris, alteram minus tutam, qua contractus ille non usurarius esse dicatur, nec Ecclesiastica lege prohibitus, alteram tutiorem, qua contractus usurarius, & Ecclesiastica lege vetitus affirmetur, æque periculo peccandi te expones, si minus tutam, relicta tutiore, sequaris; neque discrimen ullum invenire poteris nisi inter peccata, quorum aliud esset contra legem naturæ, aliud contra legem Ecclesiæ: ergo quoad peccandi periculum par est ratio, sive lex naturalis sit, & ignorari nequeat, uti perperam putas, sive sit Ecclesiastica, & possit ignorari.

458. Præterea licet Jus naturale, & Divinum ignorari invincibiliter non possent, & possint Jus Ecclesiasticum, & humanum;

quum tamen operaturus juxta alterutram opinionem, vel solide probabilem minus tutam, qua operis prohibitio negatur, vel tutiorem solide probabilem, qua prohibitio adseritur, parem habeat in cujuscumque legis suppositione prohibitionis notitiam, nempe mere probabilem; si quod est in amplectendo minus tutam peccandi periculum, æque se illi exponet, qui operetur, opinans actionem esse prohibitam à lege naturali, ac qui operetur, opinans non lege naturali, sed Ecclesiastica prohiberi; quum minus tutam opinionem uterque sequatur: atqui sic operans non se exponit periculo peccandi, quum de lege Ecclesiastica, vel humana agitur, ut fateris: ergo neque quum agitur de naturali, vel Divina.

459. Quid plura? Si in rebus moralibus, quas D. D. hinc inde disputando versant, non nobis liceret probabilem, & ne probabiliorem quidem amplecti, sed semper deberemus tutiori sententiæ etiam minus probabili obsecundare, falso dixisset Christus Dominus (*a*): *jugum meum suave est, & onus meum leve*, gravissimo enim, & intolerabili succumberemus, atque *tolerabilior* quodammodo dici *posset*, prout ad Januar. S. Aug. scripsit (*b*) *conditio Judæorum, qui etiamsi libertatem non agnoverint; legalibus tamen sarcinis, non humanis præ-*

(*a*) Matt. II.

(*b*) S. Aug. epist. 119. ad Januar.

præsumptionibus subjiciebantur . Namque humanis præsumptionibus nos subjecti , agere absque peccato non possemus , quidquid alii vetitum contra benignam quorumcumque aliorum Sapientiss. hominum sententiam præsumunt , aut opinantur ; imo si vel unus Auctor (quod Mercor. , Contenson. , & Baro , in Tutiorismum è Probabiliorismo dilapsi , sensisse videntur) contra reliquos omnes pro actionis illicitudine, seu prohibitione reclamaret, quum certe etiam tum ab illa actione abstinere tutius esset .

460. Denique S. Tho. sententias benignas sæpe tradidit , ac rigidis , tutioribusque præposuit , quarum lenissimarum S. Tho. propositionum 60. in promptu me habere num. 97. dixi nimis parce ; Cardenas (*a*) in Crisi Catalogum longissimum plusquam ducentarum opinionum hujus generis , quæ in S. Tho. reperiuntur tum in 4. sent. tum in Summa 1. 2. & 2. 2. confici à se posse adfirmavit .

461. Nec audiendus Vinc. Baro , qui apud eumd. Carden. (*b*) ibid. ait , opiniones illas S. Thomæ non mere probabiles esse , aut probabiliores , sed plane certas . Exemit nimirum Baro S. Thomam ab illo universali Varronis , & Cani , num. 237. cit. placito : & vero exi-

 mat

(*a*) Carden. 3. par. Cris. trac. 1. diss. 56. cap. 8. ar. 9. nu. 474.

(*b*) Idem ibi diss. 15. cap. 6. ar. 4. nu. 472.

mat citra invidiam, sintque Baroni certa quæcumque S. Thomas scripsit; at talia non fuere S. Bonavent., S. Anton., Scoto, Durando, aliisque plurimis, qui sæpe S. Tho. contradixerunt.

462. Quin imo neque ipsimet S. Doctori omnia, quæ docuit, certa fuerunt, quum non raro suam propositarum quæstionum decisionem probabilem expressis verbis appellaverit, & probabilem contrariam agnoverit, & fassus fuerit, ut multis in locis legere est, ac præsertim in 4. Senten. (*a*). Ergo exemplo S. Thomæ evincitur, fas sæpissime cuivis esse opiniones benignas, seu minus tutas, quas solide probabiles censet, & non certas, rigidis, ac tutioribus anteponere.

§. III.

(*a*) S. Tho. in 4. dist. 5. qu. 2. ar. 2. q. 4., dist. 8. qu. 2. or. 4. q. 2., dist. 17. qu. 3. ar. 3. q. 4., & 5. ad 5., dist. 18. qu. 2. ar. 4., dist. 27. qu. 3. ar. 1. q. 5. ad 2., dist. 32. qu. 1. ar. 4. ad 3.

Digitized by Google

§. III.

Tutioriſtarum momenta diſſolvuntur.

463. OBjiciunt Tutioriſtæ cum Sinnich. in lib. *Saul Ex = Rex* (a): Matth. 7. dixit Christus: *arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*; & quum ejusd. Matth. cap. II. Evangelicam legem *jugum ſuave* appellavit, & *onus leve* juxta P. P. interpretationem ſolum ſignificavit, graviſſimum onus legis Evangelicæ leve fieri charitate: ergo quamvis diligentibus Deum ſuavis fiat, arcta tamen, ac difficillima vere eſt via ſalutis, quia nempe ſemper in ea, quod tutius eſt, debet minus tuto anteponi.

464. Reſp., viam vitæ arctam appellari, non quia in his, quæ D. D. Catholici controvertunt, & alii rigide, ac ſevere, alii leniter, ac benigne decidunt, ſemper pars tutior, atque acerbior ſit eligenda; ſed propter ea, quæ indubitata Catholicis omnibus ſunt, ac plane graviſſima, & difficillima, ſive ſpeculativam Evangelicæ legis doctrinam, ſive practicam contempleris.

465. Namque ſpeculativa Evangelii doctrina Myſteria continet Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, aliaque non pauca, quæ ſi

(a) Sinnich. in lib. *Saul Ex = Rex* cap. 24. §. 357.

solius naturæ ratio haberetur, difficillima creditu, imo prorsus incredibilia apparerent: doctrina practica præscribit, inimicos diligendos, vitam pro Religione dandam, rependenda bona pro malis, pauperiem, infirmitatem, despectionem, calumnias, contumelias æquanimiter perferendas, quæ certe ardua, acerba, difficillima de se sunt, & sola charitate, prout optimo quidem jure P. P. adserunt, levia fiunt.

466. Ad ista porro, quæ cap. 5. Matth. dicta fuerunt, alludit Christus, quum cap. ejusdem Matth. 7. ait: *arcta est via, quæ ducit ad vitam*, interpretibus Cornelio A Lapide (*a*), & S. August. (*b*), qui apud eumdem Cornelium hæc scribit: *Angusta porta, qua intratur in Cœlum ad Beatitudinem, & convivium gloriæ cœlestis, est lex Dei; quæ cupiditates nostras arctat, & constringit; item obedientia, continentia, mortificatio, crux quotidiana, quam lex vel fieri, vel portari jubet: porta lata, quæ ducit ad perditionem, vel gehennam, est concupiscentia, libertas nimia, gula, libido, & cætera vitia.* Neque inter illa, quæ viam vitæ exasperant, & in lege Evangelica commendantur, Tutiorismum; neque inter ista, quæ viam mortis deliniunt, & à Lege Evan-

(*a*) A Lapide in Cap. 7. Matth.
(*b*) S. Aug. apud A Lapide ibi.

Evangelica reprobantur, Anti = tutiorismum reperies.

467. Objiciunt 2. identidem Sac. Canones, & S. S. P. P. inculcant: *tutiora esse sequenda*; *in dubiis eligi debere, quod tutius est*; *in his, quæ animæ salutem spectant, partem securiorem tenendam esse*, & similia, à Clem. V. congesta (*a*): ac sane in his, quæ ad Sacramentorum valorem pertinent, extra controversiam est, tutius minus tuto debere præponi: ergo juxta opinionem minus tutam nunquam licet operari.

468. Resp. argumentum istud, si quid evincit, evincere etiam contra modernos Tutioristas, nedum in rebus juris naturalis, ac Divini, verum in rebus etiam juris Ecclesiastici, vel humani quod tutius est, minus tuto semper præferendum. Deinde S. Antonin. in Summa (*b*) totam istius argumenti vim sibi objicit, solvitque per hæc verba: *Solet autem impedire repulsionem scrupulorum sententia aliquarum auctoritatum non bene intellectarum, & ideo declarandæ sunt, ut illa, quæ habetur Extra de Sponsal. scilicet = In dubiis tutior via est eligenda = propter quod scrupulosus eligit* (Tutiorista non eligit, sed aliis eligendum injungit) *viam rigidiorem*.

 469. *Sed*

(*a*) Clem. V. in Clement. de verbor. signific.
(*b*) S. Anton. 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10.

469. *Sed ad hoc respondetur*, pergit Antonin., *quod eligere viam tutiorem consilii est; non præcepti, alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Sicut enim diversæ viæ tendunt in unam Civitatem, licet una tutior aliâ sit: sic ad Civitatem Cœlestem alius sic, alius sic vadit, & tute, licet aliquis tutiore modo.... Et hoc nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Div. Script., vel determinationem Ecclesiæ*. En tibi præter alias rationem disparitatis pro rebus, pertinentibus ad Sacramentorum valorem, quum de his expressam Ecclesiæ determinationem habeamus Innoc. XI. decreto (*a*).

470. Objiciunt 3. Charitas exigit, ut Deum summe appretiative diligamus, ita ut si infinita bona creata fingerentur alia aliis prefectiora, Deum illis omnibus præferre deberemus: atqui operans juxta opinionem minus tutam Deum illo pacto non diligit: ergo contra Charitatis legem operatur. Probat. min. qui summe appretiative diligit Deum, ne Divin. voluntatem violet, summe cavet: atqui operans juxta opinionem minus tutam, non summe cavet, ne Divin. voluntatem violet, quum magis id certe caveret, si tutiorem amplecte-

re-

(*a*) Innoc. XI. die 2. Mart. 1679.

retur : ergo summe Deum non diligit : ergo ut summe Deum diligat, prout debet, debet semper sequi tutiorem.

471. Resp. conces. maj., nego min. : ad probat. dist. maj. : summe cavet, ne Divin. voluntatem, sive jussionem violet, peccatum præ omnibus aliis quibuscumque malis detestando, & fugiendo, conc.; eligendo quod tutius est, & à peccato remotius, nego min., & conseq. Si enim Charitas exigeret, ut eo secundo modo summe caveretur peccatum, quum peccatum eo magis caveatur, quo plura vitentur peccandi pericula, lege Charitatis obstricti essemus ad pericula peccandi non modo proxima, verum etiam remota vitanda, in eremum omnes secedere deberemus, & tunc, quum eremus incolarum frequentiâ eremus esse desineret, prorsus abire è mundo deberemus, illa desperatione adacti, quam S. Raym. de Pennafort (*a*), S. Bonav. (*b*), & Gerson (*c*), pertimescebant.

472. Quemadmodum igitur summa Dei dilectio, quam lex Charitatis præscribit, solà Dei appretiatione super omnia bona contenta est; neque ad intensius amandum Deum, quam creatum bonum, obligat, licet qui intensius Deum

(*a*) S. Raym. de Pegnaf. in Sum. lib. 3. tit. 34. de pœn. & remis. §. 21.

(*b*) S. Bonav. in Comp. Theol. lib. 2. cap. 52.

(*c*) Gerson in lib. de vit. spir. par. 3. lect. 4. corol. 10.

Deum amaret, perfectius legem Charitatis impleret: ita summa peccati evitatio, quam eadem lex præscribit, solà peccati detestatione super omnia mala, vi cujus quodvis aliud malum acceptetur potius, quam peccatum, contenta est; neque ad vitandum peccatum omni securiori modo nos obligat, quamvis ea peccati evitatio, si fieri posset, perfectior esset. Satis ergo fit legi, qua ad summe peccata cavendum obligamur, quandocumque certus moraliter quis est, se operatione, quam ponit, non peccare; neque enim exigi ab hominibus potest alia certitudo: eam autem moralem certitudinem non peccandi jam ex prudenti reflexo judicio habet, qui juxta opinionem minus tutam solide probabilem operatur.

473. Objiciunt 4.: ad peccandum tria requiruntur, & satis sunt: 1.um ut actio libere ponatur: 2.um ut actio legi adversetur saltem opinione operantis: 3.um ut actionis à lege discrepantia, sive malitia ab operante agnoscatur, vel agnosci possit, & debeat: atqui tria hæc in operante juxta opinionem minus tutam plerumque reperiuntur: ergo juxta illam opinionem operans, plerumque peccat, imo semper; si enim plerumque peccat, semper se exponit periculo peccandi, quod ipsum jam peccare est.

474. Probat. min. in primis ille libere operatur, ut extra dubium supponitur. Deinde sæpe ejus actio à lege discrepat, nam sæpe opinio

nio probabilis minus tuta, actionem a lege prohiberi negans, falsa est, & tunc actio, utpote vere prohibita, legi certe adversatur. Ac denique etiamsi secundum se actio legi non adversetur, nec prohibita re vera sit; opinans tamen non esse prohibitam, &, quin istud ipsi certo constet, operans, aliquam discrepantiæ à lege apprehensionem concipit mente, quum formidet, ne non liceat actio, ne falsa sit opinio, neve actio à lege vere prohibeatur, quo fit, ut saltem opinione sic operantis actio legi conformis non judicetur. In operante igitur illo pacto, tria, quæ diximus ad peccandum necessaria, & sufficientia, conjunguntur: ergo operans juxta opinionem minus tutam, peccat abs dubio.

475. Resp. nego min.: ad probat. conc. prima antec. parte, qua libertas adseritur, nego 2.^{am}, & 3.^{am}, quibus operans dicitur cum cognitione, seu conscientia vel vera, vel saltem erronea malitiæ operationis agere. Porro æquum erat, ut opiniones, quæ circa solam actionis naturam prohibitam lege, vel non prohibitam versantur, & speculativæ dici solent, atque directæ, ab judicio, quod versatur circa licitudinem actionis, quando certo non constat esse prohibitam, & reflexum, atque practicum dici solet, ab adversariis secernerentur.

476. Ille,

476. Ille, qui à nobis dicitur juxta opinionem minus tutam, solide probabilem licite operari, operari licite dicitur, non eo quod operationem conformet opinioni illi directæ minus tutæ; sed eo quod operationem judicio certo, atque tutissimo reflexo conformet, sine quo non jam licite, sed illicite operaretur.

477. Profecto qui formidat, ne falsa sit opinio minus tuta, quam sequitur, & non reflexe judicat, sibi propter incertitudinem prohibitionis certo licitam operationem esse; tunc peccandi formidinem nondum abjicit, & operans cum peccandi formidine, vere peccat, quia se exponit periculo peccandi. Qui vero super opinionem directam minus tutam reflectit, & ob incertitudinem prohibitionis judicium certum efformat de operationis licitudine, prout efformari prudentissime posse supra probatum est; is sane, quam, attenta sola minus tuta opinione, habebat peccandi formidinem, judicio reflexo prorsus abjicit, & operans jam absque peccandi formidine, nec peccat, nec periculo peccandi se exponit.

578. Quid igitur si opinio minus tuta esset re vera falsa? Tum certe operatio secundum se esset prohibita, & à lege, eam prohibente, vere discreparet: ipsa vero operatio, non secundum se considerata, sed prout substat reflexo certoque judicio adserenti, licite poni actio-

Digitized by Google

actionem posse, eo quod non constet esse prohibitam, ea, inquam operatio, prout huic judicio substat, à nulla lege prohibetur, â nulla lege discrepat, neque censetur discrepare; quippe nulla lex est, nec esse creditur, quæ jubeat, ne actio ponatur, quamvis probabiliter, seu prudenter licita judicetur.

479. Illa igitur actio, quum opinio probabilis minus tuta in se reapse falsa supponitur, secundum, se & materialiter à lege discreparet; esset tamen licita agenti, qui opinionem minus tutam probabiliter, & prudenter existimans esse veram, non jam mere probabiliter, sed certo licere sibi operationem arbitraretur; quum certissimum sit licere, quod non constat esse prohibitum.

480. Unam vero eamdemque actionem esse posse secundum se, & materialiter legi contrariam, & ab illa prohibitam; ac simul minime prohibitam, sed plane licitam, prout subest reflexo, & practico judicio, evidentissime constat exemplo mentientis ex conscientia invincibiliter erronea, qua judicat, se lege Charitatis ad mentiendum obligari, ut Parentis vitam tueatur. Tunc enim mendacium, quamvis secundum se, & materialiter veræ legi opponatur; ut substat tamen prædicto judicio, nulli legi opponitur: namque nulla lex præcipit, ne mentiaris, quum te existimas ad mentiendum teneri, imo adest indubitata lex

edi-

edicens (*a*) : *Omne, quod non est ex fide*, sive quod est contra conscientiam, *esse peccatum*.

481. Quamquam igitur vere sit lex, actionem secundum se prohibens, nulla tamen est lex, prohibens, ne illam ipsam actionem ponas, quum reflexe certò judicas posse licite poni: deest ergo, illo pacto operanti, lex prohibens, ne actio ponatur, qua ratione ponitur; & quum lex actionem eam prohibens desit, nulla inest actioni illo pacto positæ formalis à lege discrepantia; nullaque hujus discrepantiæ, aut inhonestatis cognitio, sive conscientia inest illo pacto operanti, cujus actio, quum eidem vitio verti non possit, licita comprobatur.

482. Objiciunt 5. qui grave damnum alteri infert, si eventurum probabili judicio cognovit, peccat, quamvis non eventurum, probabiliter, imo etiam probabilius existimaverit: ergo peccat, qui actionem ponit existimans probabile esse Divin. legem illâ violandam, tametsi probabiliter, aut probabilius existimet non violandam.

483. Resp. permis. ant., quod ut mox dicam, universaliter non est verum, nego conseq. Disparitas est, quia damnum non à judicio infertur, sed ab externa actione, neque interno ullo judicio, sed externæ actionis, à qua inferretur, omissione vitatur. Unde qui pro-

(*a*) Apost. ad Rom. 14.

probabiliter judicat, ex hac actione damnum esse inferendum, licet probabilius existimet, inferendum non esse, actionem ponens, periculo inferendi damnum se exponit; quum forte damnosa sit actio, & nullo reflexo judicio fieri possit, ut damnosa non sit, si damnosa est re vera. At vero aliquam actionem peccatum esse à judicio dependet, sive conscientia, & fieri potest, ut actio, secundum se mala, & prohibita, ratione interni judicii formale peccatum non sit, ut in mentiente ex conscientia invincibiliter erronea contingit.

484. Quamobrem quum operans ex probabili, seu prudenti licitudinis opinione, reflexo certoque judicio existimet, se licite operari, nulli peccandi periculo se exponit; quum ratione illius reflexi judicii certò licita fiat ipsi operatio, & quidem etiamsi directa licitudinis opinio falsa esset: etenim quum operanti falsam esse non constet, sed imo ob solidas, gravesque rationes vera probabiliter videatur, prudenter ille ex incertitudine prohibitionis infert reflexo suo judicio actionis licitudinem, eique judicio innixus, actionem licite ponit juxta opinionem probabilem minus tutam, sive faventem libertati.

485. Juvat rem totam, ut in bono lumine collocetur ad praxim deducere, & exemplo confirmare. Adit agricola Viros Theologos, & inquit: sunt mihi gravia rationum

mo-

momenta, quæ suadent, me meum agrum irrigando, grave damnum proximo allaturum; & sunt momenta validiora, quæ contrarium suadent; certi tamen nil statui potest, neque à vobis postulo, aut spero, ut ea super re certi aliquid statuatis, quippe eam dubitationem dirimere potius quam vestrum, meum esset, neque vestram Theologiam, sed agrariam meam artem spectat. Aliud, & longissime aliud quæro à vobis, scilicet liceatne mihi, an non liceat in illo contrariarum rationum conflictu, mentisque perplexitate agrum irrigare?

486. Tutiorista facillime se expediet, ac illico pronunciabit non licere, quippe ne damnum alteri irrigando inferatur, tutius, atque securius est proprium agrum non irrigare. Probabiliorista licere dicet, quia audivit validiora esse momenta, quæ suadent, nullum damnum esse ex irrigatione timendum. Alter, qui Probabilistam dici, & haberi amat, prudentem vero Probabilistarum circumspectionem non curat, statim adfirmabit licere, & quidem quamvis non probabilius, sed vel æque, vel minus etiam probabile esset, damnum ex irrigatione non sequuturum.

487. Ego tamen, si præsens adessem, cave credas, ad agricolam clamarem, cave adsentiaris, præcipitanter omnes, ac imperitissime responderunt. Opus profecto erat, ut

antequam rem deciderent, abs te quærerent, num tui agri irrigatio adeo necessaria sit, ut tibi ex ejus omissione grave aliquod damnum immineat, an secus? Si enim nullum tibi ex irrigationis omissione damnum suboriturum times, non tibi licet sub probabili, atque prudenti alienæ damnificationis timore agrum irrigare, tum ob rationem num. 483. datam, minime vero propter rationem Tutioristæ; tum etiam, quia quamvis damnum alteri obventurum certo non constet, certo constat lex, qua prohibetur damnum alteri inferre absque gravi causa, & gravis hæc causa tunc non adest.

488. Si vero ex irrigationis omissione tibi grave damnum immineat, locus erit Antitutioristarum decisioni, qua irrigationem licitam adfirmarunt: quippe tunc, quum probabilis, aut probabilior T. T. sententia ferat, neminem ulla lege teneri ad vitandum alienum grave damnum cum gravi proprio damno; jam non solum incertum erit alienum damnum, verum etiam erit incerta illius damni prohibitio, seu illicitudo.

489. Quum ergo gravis, & justa causa inferendi alteri damnum non adest, probabile est damnum, sed prohibitio certa, neque locus est judicio reflexo, dictanti licitam irrigationem, quod profecto judicium damnum non impediret, si reapse damnosa irrigatio futura esset. Quum adest autem gravis, & justa

causa, qualis est proprii gravis damni evitatio, non modo damnificatio est incerta, verum incerta est etiam irrigationis damnosæ prohibitio, & judicium illud reflexum locum habet, quo judicio, etiamsi reipsa damnosa esset irrigatio, ejus tamen illicitudo arceretur: quum licitum proculdubio sit, quidquid non esse prohibitum probabiliter, seu prudenter existimatur.

490. *Respondi, sicut existimo* (Probabilioristarum, Tutioristarumque) *quæstionibus: quantum attinet ad minus capaces, & ad contentiosos non satis: quantum autem ad pacatos, & intelligentes, plus forte, quam sat est.* S. August. in epist. ad Bonifac. Episc. 98. alias 23.

APPENDIX

Super Ranimiri II. Aragonum Regis X. Monachi, Sacerdotis, & Episcopi, matrimonio.

1. ECquis Doctorem non pertimescat facile severissimum? qui & in jure dicundo, seu Regula morum constabilienda, severioris doctrinæ Theologos sectatur; & in factis dijudicandis, seu fide Historicis Scriptoribus habenda, præferre cæteris illos amat, ac jubet, quos autumat *severioris critices Eruditos*? & vero nullus equidem dubito, quin utrobique, & in quæstione nempe juris, & in quæstione facti suus illum severitatis amor fefellerit.

2. De facto ipso, ex historia deprompto, seu de matrimonio Regis Aragonum Ramiri, vel Ranimiri jam supra pro re nata in Dissert. à num. 189. usque ad 196. disputavi; plurima tamen superaddere, totumque seorsim argumentum sub finem pro dignitate tractare, quum illic spoponderim, fidem libero meam; & nova hac ratione demonstro, eum, qui in qu. facti severioris critices prætextu à vero, & æquo aberravit, in qu. quoque juris, doctrinæ severioris ergo, cumulatius aberravisse.

3. Rev. itaque P. Fr. Pet. Mar. Gazzaniga tom. II. Tract. de Actib. human. Diss. III. cap. III. edit. Ven. 1771., respondens ad Probabilistarum argumentum, ex Romanor. Pont. praxi, & auctoritate desumptum, in nota 2. ad nu. 105. scribit: *Quæ narrantur de Constantia, filia Rogerii Siciliæ Regis, dispensata à Cœlestino III., ut nuberet Henrico VI. Imper., quum prius esset Sanctimonialis, ut suppostitia habentur à Baronio ad an.* 1186.*, Nat. Alex. Sæc. XII. cap. II. art. XIII., & ab aliis severioris critices Eruditis. Idem judicium ferri potest de similibus absolutionibus à votis solemnibus Religionis, quæ dicuntur facta ab Alex. III. Nicolao Justiniani, ne tam Illust. Familia extingueretur, à Bened. IX. Casimiro Regi Poloniæ, & Ramiro Regi Aragoniæ, qui omnes Monachi erant Ord. S. Bened.*

4. Singula percensere non vacat; sed nec vero refert, quum ad rem, quam Probabilistis negat Eruditiss. Gazzaniga, satis sit, Rom. Pontificem illiusmodi postulationibus vel semel indulsisse. Mitto igitur Sanctimonialem Eruditis, Italis Justinianum, Casimirum Polonis (quamquam & de isto pauca dicam, quæ rei nostræ maximopere proderunt) ac præsertim de Ranimiro verba faciam, cui Monacho, Sacerdoti, & Episcopo, Alphonsi frat. sine prole defuncti, Regnum Aragonenses detulisse, publica monumenta testantur.

5. Ac

Digitized by Google

5. Ac primum præpostere scribitur in nota *quæ* (dispensationes) *dicuntur facta ab Alex. III. Nicolao, . . . à Bened. IX. Casimiro . . . & Ramiro*, quum dispensationem à Bened. IX. Ranimiro factam, nemo dixerit. Etenim, qui Scriptores, de Ranimiri matrimonio agentes, Bened. IX. dispensationem meminerunt, non illam certe allegaverunt, veluti Ranimiro datam, vel ad Ranimirum directam; namque probe noverant, Benedictum IX. triginta circiter annis, antequam Ranimirus nasceretur, e vivis excessisse: siquidem obiit Bened. anno 1054., uti Baronius (*a*) ait, & circa annum 1055. ortus Ranimirus fuit juxta Hieronym. de Blancas, qui in Aragonens. rerum Comment. (*b*) refert, Ranimirum anno Christi 1135., jam quinquagenarium, duxisse uxorem.

6. Dispensationem igitur Bened. IX. tantummodo Illi commemorarunt; ut ducendi uxorem facultatem, Ranimiro concessam, exemplo confirmarent: quum enim Rom. Pontificis diploma pro Ranimiro nullibi reperiretur, opus erat illis Bened. dispensationem allegare, qua ostenderent, illiusmodi gratiam non fuisse in Ecclesia inauditam, sed jam prius à Bened.IX. concessam Casimiro Poloniæ Regi, Monacho,

R 3 & Dia-

(*a*) Baron. ad an. 1054.

(*b*) Blancas Arag. rer. Comment. pag. 146. 147. Edit. Cæsaraug. 1588.

& Diacono Cluniacensi, uti testantur Longinus (*a*), & Cromerus (*b*), ac refertur in notis ad Histor. Nat. Alex. (*c*). Quamobrem, ut ad severioris critices amussim noster Theologus loqueretur, dicere debuisset in nota: *quæ dicuntur facta . . . à Bened. IX. Casimiro Regi Poloniæ, & ab Ancleto II., vel Innoc. II. Ranimiro Aragonum Regi.*

7. Porro Nat. Alex. Longino, atque Cromero consensit, neque idem de Casimiro, quod de Constantia judicium tulit, aut ferendum existimavit. Agens primum (*d*) de Casimiro, sic cum Longino scribit: *Afflictis, & pene desperatis Poloniæ rebus, quum nullus præsto erat, qui labentem Rempublicam sustineret, Regni Ordines legationem ad Sedem Apost. decrevere, ut Casimirum Principem, Regni legitimum hæredem, qui vitam Monasticam apud Cluniacenses professus fuerat, jamque, Diaconus erat Ordinatus, Professionis Monasticæ vinculis solutum, Regem impetrarent. Eorum votis annuit Bened. IX., Casimirum à votis absolvit, eique ducendi uxorem fecit potestatem.* Agens autem postea de Constantia (*e*), dispensationem ei à Cœlestino III. concessam, ut Henrico V. Imper.

(*a*) Longin. lib. 3. Hist. Polon. ad an. 1040.
(*b*) Cromer. de Orig. & reb. gest. Polon. lib. 4.
(*c*) Nat. Alex. sæc. XI. cap. I. ar. IV.
(*d*) Idem ibi.
(*e*) Idem sæc. XII. cap. II. ar. XIII.

per, nuberet, veluti falsam, & commentitiam cum Baronio refellit.

8. Quum igitur non unum, idemque fuerit Nat. Alexandri de Constantia, ac de Casimiro judicium, sed Casimirum Pontificis dispensatione, qua utpote Monachus, & Diaconus indigebat, conjugium iniisse, nequaquam refragetur: Constantiam vero nupsisse adfirmet (si forsitan nupsit) absque Pontificia dispensatione, qua minime indigebat, quum nunquam, & nusquam Sanctimonialis extitisset: Cur idem nihilominus, quod de Constantia, ferendum de Casimiro judicium esse contendit Gazzaniga contra Nat. Alex.? Numquid Nat. Alex. rigidioris critices eruditus Constantiæ fuit, & Casimiro laxioris, ut ejus opinionem circa Constantiam sequi debeamus, & circa Casimirum abrenunciemus?

9. Constantiæ, Rogerii filiæ, datam à Rom. Pont. nubendi facultatem fuisse; omnes severioris, ac minus etiam severæ critices eruditi negant, & negant jure, meritoque ob rationes, quas validissimas adfert Baronius (*a*). Datam Casimiro Poloniæ Regi, negant quidem Gonet., Thomassin., Capisucc., & ejusmodi alii; adfirmant vero & Longinus, quem Nat. Alex. *Scriptorem accuratum* appellat, Baronius *sincerissimum*, & Cromerus locis sup. cit.: adfir-

(*a*) Baron. ad an. 1186.

firmant Baronius ipse (*a*), & Pagius (*b*), & Mabillonius (*c*), & Azorius (*d*), & ipse cit. Alex, aliique quamplurimi, quos severioris critices eruditos esse, nemo inficias iverit. Juxta Regulas igitur critices severioris non idem ferri potest de Casimiro judicium, quod de Constantia; sed omnino dicendum, Pontificiam absolutionem ab impedimento illo dirimente neque datam, neque postulatam fuisse Constantiæ Rogerii filiæ; expostulatam vero reapse fuisse, atque concessam Casimiro Poloniæ Regi.

10. Jam vero de Ranimiro Aragonum Rege disputemus oportet. Nat. Alex., qui, ut vidimus, Sæc. XI. cap. I. art. IV. Pontificiam ab matrimonii impedimentis absolutionem Casimiro Poloniæ Regi concessam agnovit, Sæc. XII. cap. XI. art. IV. Ranimiro Aragonum Regi datam inficiatur. Cl. autem Gazzaniga, Alexandro severior, utriusque & Casimiri, & Ranimiri dispensationem supposititiis accenset. Misso tamen, ut pactum est, Polonis suo Casimiro, cur ita quoque de Ranimiro sentiat, compertum habeo, quia videlicet rationes, quas contra istius dispensationem apud Nat. Alex. legerat, sibi ex sua ipsius

tru-

(*a*) Baron. ad an. 1041.
(*b*) Pagi in crit. ad eumd. an.
(*c*) Mabillon. in Annal. Benedict. tom. 4. lib. 58. nu. 4.
(*d*) Azor. in Instit. Moral. tom. I. lib. 12. cap. 7.

trutina eas consideranti, valde magni ponderis visæ sunt. Itaque singulas perpendamus.

11. Primo quidem hæc loco cit. Nat. Alex. scribit: *Pontificiam illam dispensationem* (Ranimiro datam, ut matrimonium contraheret) *fabulæ simillimam suspicor, quam Surita ipse haud certo adserit, hac verborum cautione usus UT FERUNT, & QUOD CONFIRMARE LIQUIDO HAUD POSSUM*: ac si diceret Alex. de Pontificia Ranimiri dispensatione dubitat ipse Surita, Regni Aragonum Historicus celeberrimus: ergo suspicari illam possumus fabulæ simillimam, & ut Gazzaniga superaddidit, veluti suppositiam habere.

12. Quidni vero contrarium simili argumentatione probetur? Illa porro Ranimiri dispensatio certa, & indubitata est Hieronymo de Blancas, Regni Aragonum Historico celebratissimo: ergo jure possumus rebus illam certis, ac exploratis, minime vero supposititiis adscribere. Surita dubitat de Pontificia Ranimiri dispensatione, siquidem ita libet illam verborum cautionem interpretari: Blancas non dubitat, sed absque ulla hæsitatione obtentam dispensationem adfirmat: si ergo dubitandum est, quia Surita dubitat; quia Blancas non dubitat, non erit dubitandum.

13. Quisnam autem illorum, magni certe nominis Historicorum, alteri sit præferendus, meum decernere non est, hanc aliis provin-

ciam

ciam cedo, dummodo loquentem prius audiant de Hieronymo Surita Hieronymum de Blancas, & de Hieronymo de Blancas Anton. Augustinum.

14. Hieron. de Blancas in suorum Commentar, nuncupatoria, VIII. Viris Aragonum Regni Deputatis scribens, ait: *Quum Ille* (Surita) *pro suscepto munere tam ornate res nostras in utraque lingua persequutus fuerit, ut ad Veterum Scriptorum laudem pervenerit, aliquibus tamen visum est, eum peranguste adeo nonnulla retulisse, non ut facile intelligatur, quid dicat.*

15. Antonius Augustinus, Archiepisc. Tarracon. (alterum Hispanicæ gloriæ decus immortale) quum suffectus Suritæ fuit Hieronymus de Blancas, huic pro occasione nata epistolam gratulatoriam misit in hæc verba: *Gratulor tibi in primis, ut debeo, quod Historici nostræ Reipub. nomen atque splendorem, Hieronymo Suritæ suffectus, magno consensu suffragantium Patrum, ac totius Civitatis* (Cæsaraugustæ) *adprobatione fueris adeptus. Mihi autem valde gaudeo, quod illi, quem magnopere dilexi propter ejus insignes animi dotes, & amicitiam non vulgarem, tu quoque successeris, qui, neque in me amando, neque in latina historia scribenda ei cessurus esse videaris. Commentariorum tuorum ingens volumen libentissime perlegi, tum quod tua sint, quem ma-*

magnopere diligo, tum quod de his rebus agatur, quæ ad Patriæ dignitatem, & decus maxime pertineant. Itaque si te ab eorum editione deterrerem, ingratus in Patriam, ac tuæ gloriæ invidus judicarer, quum laborem istum tuum facile omnes probaturos, sperem . . . .Tarracone Kal. Febr. 1584.

16. Hac præmissa utriusque Cl. Historici notitia, quis illum, obsecro, reprehendat, qui Hieronymo Suritæ Hieronymum de Blancas hac in parte prætulerit, atque isti consentiens, parvi pependerit, si qua fuit, illius dubitationem, vel animi perplexitatem nimium meticulosi?

17. Enim vero dubitaverit, quandoquidem sic placet Eruditis, dubitaverit de dispensatione Surita: quid inde? licebitne propterea juxta severioris critices regulas sic argumentari: Surita dubitat de Ranimiri dispensatione: ergo eam reputare possumus *fabulis simillimam*, quæ Nat. Alex. sententia est, & *supposititiis accensere*, quod placitum est Gazzanigæ? Profecto si ea tenet argumentatio, tenebit & hæc alia: Dubitat Augustinus de æterna Salomonis salute: ergo æternam Salomonis salutem fabulæ simillimam reputare possumus, rebusque supposititiis accensere.

18. Rectius, equidem puto, illum argumentaturum, qui dixerit: Augustinus dubitat de æterna salute Salomonis: ergo hæc omnino

certo

certo non constat, tametsi sit admodum probabilis: Surita dubitat de Ranimiri dispensatione: ergo hæc omnino certa non est, quamvis probabilissima sit. Quodsi vero quidquid tantum probabile est, & nondum certum, fabulis, sive commentis adscribi potest, omnes Theologi, Philos., Jur. Cons., omnes omnino homines, *quorum disputationi mundus traditus est* (a) in fabulis, atque commentis maxima ex parte versabuntur.

19. Illud equidem à fabulis, commentisque remotum aio, ac plane certissimum reor, causam videlicet à vero, & æquo aberrandi hominibus plerumque esse, non severitatem critices, neque lenitatem, sed dialectices caritatem.

20. Quæ de Suritæ dubitatione dixi, dixi, ut morem gererem Semi= Pyrrhonicis Eruditis: cæterum mihi sane, utrumque Historicum per legenti, nullus sententiarum conflictus apparuit, nulla dissensio; idque dumtaxat discriminis animadverti, Blancas scilicet fuse, dilucide, accurate rem totam descripsisse; Suritam vero illum de Ranimiri matrimonio locum parce nimis, atque tenuiter tractasse, illisque verbis *ut ferunt: quod confirmare liquido haud possum* usum in narratione fuisse, non quasi meticulose, aut dubitanter scriberet, ut Nat. Alex. existimat; sed, ut Blancas adnotat, *peranguste*. 21. In-

(a) Eccles. cap. 3.

21. Inquiens itaque Surita *quod confirmare liquido haud possum*, ut purioris latinitatis erat amator, vocem *liquido* usurpavit loco vocis *authentice*, quia illam istà cognoverat magis latinam; ac *liquido* tantum significare voluit, à se authenticum præsumptæ Pontificiæ dispensationis documentum produci non posse; quum autographum Pontificis diploma tunc temporis (circa medium Sæc. XVI. scribebat) non reperiretur; periisset.

22. Inquiens autem *ut ferunt*, præsumptam abs se Pontificiam dispensationem firmavit famâ pubblicâ, communi hominum existimatione, quæ sane, ut legere est apud Constantin. Roncaglia in notis ad Histor. Nat. Alex. (*a*), ab Antiquissimis, & Ranimiro coævis Scriptoribus Oderico Vitali, Guillelmo Nubrigensi, & Roberto de Monte originem trahebat, quorum profecto auctoritas rem facile persuadere potuit, et potest, utpote contemporaneorum Ranimiro: et præterea quia tres tantummodo illi licet fuerint, triginta, et amplius nostræ ætatis Scriptoribus æquivalere videantur, quum enim Sæc. XII. quo Ranimirus regnavit, & Doctores illi floruere, nec ea typographorum copia, nec ea fuerit, quæ nunc est, Scriptorum colluvies, & incredibilis prurigo libros edendi, rebus bene per-

(*a*) Constantin. Roncaglia in notis ad Histor. Nat. Alex. Sæc. XI. cap. II. ar. V. nota 2.

perpensis, plures sunt illi sæculo três Auctores, quam nostro triginta. Surita igitur, inquiens *ut ferunt*, minime propriam, qua ipse anceps hæreret, dubitationem indicavit; sed imo potius rei, a se narratæ, quam fama publica contestabatur, certam & indubiam exegit fidem.

23. Jam vero Hieron. de Blancas suis in Aragonens. rerum Commentar. de Pontificia Ranimiri dispensatione ita disseruit, nullum ut reliquerit locum Eruditorum tergiversationi. *Nostri*, ait (a), *majora adhuc publicis rebus detrimenta ventura pertimescentes, si Ranimirus sine prole decederet; quam primum totis viribus ab Anacl. II. Pont. Max., sive ut alii tradunt, Innoc. II. obtinere curarunt, ut Ranimirus ipse rex, votis solutus, ad nuptias properare posset. Fuerat enim, vivente Patre, pene infans D. Bened. instituto, in Tomariensi Cœnobio addictus, Sacr. postea Ordinibus initiatus, ex Sahagunensi Illustri Abbatia, qua eum Alphonsus Frat. donarat, Burgensi primum, deinde Pompelon., ac Rotensi, seu Balbastrensi Episcopalibus Ecclesiis, præpositus.*

24. *Deinde Apost. Sedis gratiâ obtentâ, Aquitaniæ Ducis sive Sororem, sive, ut alii perhibent, filiam Agnetem, quam alii Metildem, alii Urracam nominant, in Conjugem ac-*

(a) Blancas in Comment. pag. 147.

Digitized by Google

accepit an. Christi 1135., *ex qua*, *unica Filia*, *quam genuit*, *Petronilla*, *dum postea fuit Bancinonensi Comiti Raymundo desponsata* (Huic illa, quum vix secundum ætatis annum attigisset promissa, atque dicata fuerat in Sponsam, ut ibi (*a*) narratur) *fœcunda ab ipsis prognata sobole*, *Aragonum Regnum ab imminentibus*, *quæ timebantur*, *externi imperii obeundi periculis liberavit*, *& Cataloniæ Principatu Aragonum ditioni subjuncto*, *posteris Regibus ad maritimas oras*, *longinquaque Regna appetenda uberrimum aditum patefecit*. Hæc Blancas elegantissime.

25. Eique Joan. Mariana, qui illius commentarios domesticos habebat, ac diurna, nocturnaque manu versabat; fidem se suam adjunxisse protestatur, inquiens (*b*) *Rom. Pontificis veniâ*, *uti credimus*, *ut Rex*, *Conjux*, *& Sacerdos idem esset*, *impetratum*. Sed tamen (nescio an irasci debeas, an ridere) istum Marianæ locum ita Nat. Alex. intelligit, in eumque sensum detorquet, ac si Mariana loco *uti credimus* dixisset *uti dubitamus*; quia nimirum iis severioris critices eruditis idem credere, ac dubitare est.

26. Age vero: in illa narratione Blancas, uti vidisti, incerta à certis, dubia ab exploratis secernit, quod ipsi sane maximopere fidem

(*a*) Idem pag. 149.
(*b*) Mariana Hist. lib. 10. cap. 15.

dem conciliat; quum ea certorum ab incertis discretio acre Auctoris studium, ac sedulitatem ostendat; atque simul manifeste demonstret, esse rem certam posse, & exploratam, quæ narratur, quamvis aliqua, eidem accidentia, vel circumstantia, incerta sint. Quod nisi verum esset, nulla præsertim veterum, & obscurorum temporum historia non nutaret, nulla non pessum iret.

27. Incertum esse sibi, Blancas non diffitetur, utrum ab Anacl. II. facta Ranimiro fuisset ineundi matrimonii potestas, an ab Innoc. II.: istudque secundo loco nobis objicit Nat. Alex. sic argumentans: *De Pontifice, à quo concessa fertur* (Ranimiro) *illiusmodi dispensatio non conveniunt Scriptores*; *quidam ab Anacl. Pseudo = Pont., alii ab Innoc. II. datam tradunt*: ergo jure illam fabulæ simillimam suspicemur.

28. Resp. conc. ant., nego conseq. Tunc temporis, ut Baron. refert (a), uterque simul & Anacl., & Innoc. *Pontificis Maximi* nomen sibi, & Dignitatem arrogabant diro, ac pertinacissimo schismate, quo durante, Petrus Leonis, seu Anaclet. Romæ dominabatur; Innoc. autem Galliam, atque Germaniam peragrabat, Leoninorum hominum furorem aufugiens: atque hinc orta Scriptorum discrepantia est.

29. Alii,

(a) Baron. an. 1130. usque ad 1137.

29. Alii, quibus certa, & indubitata dispensatio erat, datam eam existimarunt ab Innoc., quia hujus partes Hispani sequebantur, nec verisimile videbatur, Hispanos ab alio, cujus imperium recusabant, & non ab illo, quem legitimum Pont. venerabantur, dispensationem expostulavisse.

30. Alii, quibus certa quoque fuit, & indubitata dispensatio, eam censuerunt ab Anacl. concessam; eo quod Hispanorum negotiorum in Urbe Procurator, cui res delata fuerat, vel ipse contra communem Hispanorum sententiam Anacl. partes sequeretur, morem gerens Romanis; vel Innoc. sine sede vagantem adire non posset, ne per litteras quidem, quum omne cum profugis commercium Roma prohiberet. Et quamvis nulla dispensandi potestate vere polleret Anacl., ejus tamen dispensationem Orator Hispanus autumabat, ratam iri firmamque à vero Pont. Innoc., prout ipsæ tum rei natura & gravitas, tum Regia Personarum Dignitas exigebant.

31. Ob dubium igitur an Pseudo = Pont., an verus dispensaverit, negari Pontificia Ranimiri dispensatio nequit, sed ad istam negandam, probari certo deberet, neutrum dispensavisse; quod sane communi omnium adversaretur sententiæ tam illorum, qui Anacleto, quam aliorum, qui Innocentio dispensationem adtribuebant; quum utrique circa dispensationem convenirent, tametsi circa Pontificem dissiderent.

 32. In-

32. Incerta quoque Historicò nostro fuere & cognationis gradus cum Aquitaniæ Duce, & item nomen Uxoris Ranimiri: atque hinc Nat. Alex. tertiam objectionem orditur: *Principem*, ait, *fœminam, quam Uxorem duxit, quidam Agnetem, alii Methildem, alii Urracam nominant; quidam Sororem, quidam filiam Ducis Aquitaniæ fuisse docent*: ergo ipsum Ranimiri Regis, & Sacerdotis matrimonium fabulis commentisque accensendum.

33. Resp. nego conseq.; quæ ex illo antec. non descendit, sed plane contraria: illi enim omnes, qui circa nomen Uxoris, & cognationem dissidebant, matrimonium quodammodo testabantur; quum neque cognationem ullam cum Aquitaniæ Duce, neque ullum potuissent Ranimiri Sacerdotis Conjugi nomen imponere, si Ranimirus ipsorum opinione conjugem non habuisset.

34. Ipso quidem Pontificio illius dispensationis diplomate, si præ oculis haberetur, omnia confirmari liquido possent, & patefieri; verum, quod Surita, Blancas, & omnes fatentur, ac dolent, periit illud, & diu multumque quæsitum, nullibi repertum est: atque inde quarto loco argumentatur Nat. Alex. *utut se res habeat, nullum*, inquit, *sive Anti = Papæ Anacleti, sive legitimi Pont. Innoc. II. diploma hac de re profertur*: ergo vel Ranimirus Monachus, & Sacerdos matrimonium non contraxit, vel illud contraxit absque Pontificis di-

dispensatione. Quam argumentationem ego non tam severioris critices dixerim, quam crassioris minervæ; quippe quæ in hanc recidit, vel simillima est huic alteri: *non extat*: *ergo non extitit*.

35. Conces. igitur ant. nego conseq. Veteres Scriptores Ranimiro coaevi, eique ætate suppares, claram, seu expressam Pontificii diplomatis mentionem prætermiserunt, non quod obtentum illud ignorarent, aut dubitarent; sed quod mentionem Professionis, Sacerdotii, & matrimonii fecissent, ac nemo nesciret, à Monacho, & Sacerdote contrahi matrimonium non posse sine Pontificio dispensationis decreto. Censuerunt itaque, & censuerunt quam optime, ipso Ranimiri Monachi, & Sacerdotis matrimonio, non clandestine, sed in facie Ecclesiæ celebrato, cunctisque notissimo, satis superque constare Pontificium diploma, quin illud ipsi proferrent.

36. Nihilominus quum temporum decursu aliquarum circumstantiarum memoria, ut supra diximus, partim obscurata esset, partim obliterata, nonnulli severioris critices Eruditi (quibus semper est cordi nihil disserere, nisi novum, ac singulare, seu à communi hominum opinione remotum) quæ certa supererant, ac veluti à Majoribus accepta vulgo dictitabantur, nempe Ranimirum Monachum, & Sacerdotem Apostol. dispensatione Uxorem duxisse, in dubium revocare suo de more

cœperunt, ac falsi etiam arguere, eo potissimum fundamento, quod Pontificiæ dispensationis diploma post multam, ac diligentem pervestigationem nullibi reperissent.

37. Verumtamen nonne Pontificium diploma, postquam vere extitit, suoque fuit effectu completum, quam facillime potuit, aut in Schismatis æstu ab aliquo adversæ factionis homine lacerari? aut illius sæculi hominum oscitantia deleri? aut carie erodi? aut vetustate absumi? aut (quod perquam plurimis aliis authenticis tabulis, seu documentis contigit) vel hostium irruptione, vel incendio, vel inundatione perire? Hæc discrimina, hos casus critices severitas non considerat, statimque contra communem sensum decernit: *Non invenitur diploma: ergo non extat: non extat modo: ergo nec extitit unquam; & consequenter Ranimirus vel matrimonium non contraxit, vel contraxit, inscio, & inconsulto Pontifice.*

38. *Etsi Monachum*, ait quinto loco Alex., *a votis absolvisset Pontifex, aut irrita vota declarasset, quæ forsan summa libertate non emiserat; quis sibi persuadeat, ipsum Episcopo indulsisse, ut uxorem duceret, & filios procrearet? Ubinam in tota Historia Ecclesiastica exemplum tam insolens?* ergo quum Ranimirus (huc enim Alexandri interrogationes collimant) ergo quum Ranimirus, prout Regiæ ipsius conditioni congruebat, Episcopalibus Infulis condecoratus fuisse dicatur; si quam

Pon-

Digitized by Google

Pontificis dispensationem obtinuit, eam tantummodo obtinuit, ut è Monasterio exiret, & Regni potiretur, minime vero ut matrimonium contraheret.

39. Resp., Alexandrum, utcumque vis fuerit severioris critices, æquioris tamen ignarum hoc in loco, ac parum sibi cohærentem mihi videri. Primo quidem Rom. Pontificem indulsisse, ut Ranimirus non solum è Cœnobio in thronum transferretur, verum etiam ut matrimonium iniret, clare ostenditur, & Neubrigensis testimonio confirmatur in notis ad Histor. Alex. loco sup. cit., ubi hæc leguntur: *Nemo autem dixerit, Pontificis dispensationem concessam fuisse ad extrahendum è Monasterio, non ad matrimonium ineundum: Quum etenim à Monasterio abstraxerint, ut hæredem haberet, seu ad procreandos, qui succederent, liberos, ut scribit Neubrigensis* (Auctor coævus) *ridiculum esset credere expostulatam dispensationem pro egressu è Monasterio, non vero pro matrimonio contrahendo.*

40. Absolvit itaque Pontifex Ranimirum à votis, minime vero irrita vota declaravit, & profecto si irrita vota declarasset, nequaquam ab illis absolvisset; namque à votis nequit absolvi, nisi qui præsupponitur votis irretitus, quis enim solvat non ligatum? qui vero ligatus votis præsupponitur, non irrita, sed valida vota præsupponitur emisisse, siquidem validis homo votis, non autem irritis ligetur.

 41. Quam-

41. Quamquam ergo nullam aliam in Rom. Pont. circa solemne votum potestatem S.Thom. agnoverit præter potestatem irritum illud declarandi; absolvere tamen à votis irrita vota declarando implicatorium est, ac dici Pontifex potius debet, non irrita, sed imo valida vota fuisse, præsumere, quando à votis absolvit.

42. Præterea quum Ranimiri Professionem ratam, firmamque Alphonsus Frat. censuerit, ita ut civiliter, nuncupata solemni Professione, præmortuum reputans Ranimirum, alium testamento suo constituerit Regni hæredem: quum eamdem Professionem validam, atque legitimam Ranimirus ipse iterato contestatus quodammodo fuerit sua illa diplomatum subscriptione*, quam in autographo Ranimiri diplomate suismet oculis legisse Surita testatur, *Rex*, *&* *Sacerdos*; quippe non nisi Monachus, & quia Monachus Sacerdotium susceperat: quum de valida Ranimiri Monachi Professione nemo unquam dubitaverit: qua, dic oro, qua ratione, quo jure potuit Pontifex contra omnium omnino hominum prudentissimam veramque existimationem irrita Ranimiri vota declarare?

43. Numquid *quia forsan* (sic enim Alexander suspicabatur) *summa libertate Ranimirus vota non emiserat*? Ast perfectam deliberationem, seu libertatem in votis emittendis habuisse, luculentissime demonstravit ipsemet Ranimirus, usque adeo tenax propositi, ut,

par

parta prole, ubi primum per Uxorem licuit, ejusdem vel morte, vel consensu, sese Regno abdicaverit, & ad pristinum Religiosæ vitæ institutum redierit. Illa ergo Nat. Alex. suspiciò *forsan summa libertate vota non emiserat*, vana, & imprudentissima est, ac minime ad Pontificiam dispensationem idonea.

44. Postremò quod maximopere movit Alexandrum, ut Ranimiro illiusmodi Pontificiam dispensationem datam inficiaretur, non votum solemne fuit, non qualiscumque Sacer Ordo; sed solus Episcopatus; quandoquidem, ut supra vidimus, ab utroque & voti, & Ordinis impedimento Apostol. auctoritate absolutum fassus est Casimirum Poloniæ Regem. Nimirum opinione Nat. Alex. credibile est, Rom. Pont. ob gravissimas causas à voti, & Ordinis impedimentis aliquando absolvisse; ab impedimento autem Episcopatus absolvisse, quis credat? *quis sibi persuadeat*?

45. Resp., illum, qui crediderit, Casimirum à voti, & Ordinis impedimentis ob utilitatem publicam fuisse absolutum, facile crediturum, si vel mediocriter Theologiæ peritus sit, Ranimirum ob publicam utilitatem absolutum quoque fuisse ab impedimento Episcopatus. Namque Episcopatus, quod ad dirimendum matrimonium adtinet, *nihil addit voto solemni, & Ordini Sacro præter quamdam decentiam, & honestatem, qua decet, Episcopum à conjugio abstinere, & quæ, secluso*

 Jure

Jure Ecclesiastico, non transit in præceptum, ut totidem verbis ait (*a*) Thomas Sanchez.

46. Votum solemne, quod in Religionis Professione emittitur, non solum Jure Ecclesiastico, verum etiam naturali, & Divino matrimonii subsequentis valorem impedire sententia est multorum Theologorum cum S. Tho. (*b*). Ordinem Sacrum, quicumque è Majoribus ille sit, non naturali, & Divino, sed solo Jure Ecclesiastico matrimonium subsequens irritare, seu nullum efficere, plerique omnes Theologi sentiunt cum eodem S. Tho. (*c*). Episcopatus itaque dirimit quidem subsequens matrimonium, sed illud dirimit; ut docet Thom. Sanchez loco cit. *ratione Ordinis Sacri, & solo Jure Ecclesiastico, non autem naturali, neque Divino*.

47. Hinc clarissime infertur difficiliorem esse creditu absolutionem à voto solemni, quod juxta S. Thom. omni Jure dirimit matrimonium, quam ab Episcopatu, qui juxta eumd. S. Thom. solo Jure Ecclesiastico matrimonium dirimit: ergo qui datam Casimiro credit absolutionem ab impedimento voti solemnis, & Ordinis Sacri, cur datam non credat Ranimiro ab Episcopatus impedimento, simillimâ causâ publicæ utilitatis urgente?

48. *At*

(*a*) Thom. Sanchez lib. VII. de Matrim. disp. XXVII. nu. 7.

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 38. qu. 1. art. 3. qu. 3.

(*c*) Idem ibi dist. 57. qu. 1. art. 1.

48. *At ubinam*, inquiebat Alexander, *in tota historia Ecclesiastica exemplum tam insolens*? Resp. 1., in Historia Ecclesiastica Cæsaris Baronii, & ipsius etiam Nat. Alex. claram, quidem, atque distinctam mentionem fieri Pontificiæ absolutionis à voti solemnis, & Ordinis impedimentis, quæ insolens quoque licet fuerit, utrobique tamen dicitur Casimiro concessa, quin ipsius dispensationis insolentia Historicis, quo minus concessam crederent, & narrarent, obstiterit. Item in commentariis rerum Aragonensium, qui res bene multas Ecclesiasticas complectuntur, à Hieron. de Blancas accuratissime exaratis, claram, atque distinctam mentionem fieri illiusmodi dispensationis, quæ Episcopo Ranimiro dicitur facta, quantumvis insolenter. Et re quidem vera quæcumque, & cujuscumque Principis, sive Ecclesiastici, sive Sæcularis gratia tum, quum primum conceditur, insolens est, & carens exemplo, quin propterea illam homines etiam criticissimi, quum primum concessa est, inficientur esse concessam.

49. Præterea, nullus unquam historiæ Ecclesiast. universalis Scriptor suarum partium esse judicavit ita res omnino omnes, quæ ad Ecclesiam quoquo modo pertinent, narratione complecti, ut nulla à se queat sine piaculo prætermitti. Si enim nullam illiusmodi rem omittere Historico liceret, omnis historia Ecclesiastica, quæ alicujus præsertim viri Princi-

pis

Digitized by Google

pis matrimonium, aut cognationis cum Sponsa dispensationem præteriret, manca, & mutila diceretur, ejusque Auctor vituperatione dignissimus.

50. Manca, & mutila dici, haberique deberet ipsa cæteroquin celebratissima historia Baronii, qui licet non raro istius, vel alterius Principis meminerit, remque aliquam ab eo gestam incidenter enarret; licet unum item, vel aliud istius, vel alterius Rom. Pont. diploma referat pro re nata; sua tamen interesse non existimavit omnium ac singulorum Pontificum bullas, indulta, diplomata, vivæ vocis oracula, dispensationes matrimoniales recensere; multoque minus seriem, conjugia, impetratas dispensationes, genealogias omnium Christianorum Regum uniuscujusque nationis commemorare, & historiam in infinitum producere. Prætervolavit igitur Baronium Rex Aragonum Ranimirus, neque fieri potuit, ut Baronius Ranimiri Regis prorsus immemor, Pontificiæ dispensationis ipsi concessæ reminisceretur.

51. Dogma illud est profecto severioris critices, notitiam scilicet singularis cujusque rei non tam ex historia universali petendam esse, quam ex particulari historia illius Regni, vel Nationis, in qua res illa dicitur accidisse; nec tam Scriptoribus, tempore, ac loco remotissimis, esse fidem habendam, quam Concivibus, et coætaneis. Juxta istud ergo æquis-

æquiſſimum ſeverioris critices ſcitum Baronio tacenti, & Natali Alex. neganti, Vitalis, Monte, Neubrigenſis, Rodericus Toletanus, Gaufredus, Surita, Blancas, & Mariana præferri debent, qui omnes unanimiter conteſtantur, Ranimirum, Monachum, Sacerdotem, & (quod è re eſt, quam modo diſputamus) Epiſcopum, Matrimonium contraxiſſe Rom. Pont. diſpenſatione, data, ſi mavis, ſub hac formula, quæ inſolens hodie jam non eſt, *Ne tranſeat in exemplum*.

52. Ita profecto ſe res habet. Illi omnes Scriptores Ranimirum Sacerdotem appellant, & neque negant Epiſcopum fuiſſe, neque ajunt fuiſſe ſimplicem Sacerdotem, ſed Sacerdotem abſolute; eoque pacto aut genus uſurpant pro nobiliori ſpecie, aut Sacerdotium accipiunt ſecundum totam ſuam amplitudinem, qua Epiſcopatum complectitur: quemadmodum poſtea Trident. ſeſs. 23. cap. 2. in Ordinum enumeratione ſeptimo, & ultimo loco recenſens Sacerdotium, hoc ſolo *Sacerdotii* nomine Epiſcopatum incluſum, ac ſignificatum voluit.

53. Quid? quod Hieronymus de Blancas, qui præ reliquis Aragonenſium rerum hiſtoriam uberius ſcripſit, & accuratius, Ranimirum, omni procul dubio, & Sacerdotem fuiſſe narrat, & *Burgenſi primum, deinde Pompelonenſi, ac Rotenſi, ſeu Balbaſtrenſi Epiſcopalibus Eccleſiis Præpoſitum*; num ſimul, an gradatim non diſputo: illud ajo, prorſus in-

incredibile mihi videri, Ranimirum, Aragonum Regis Alphonsi germanum Fratrem, quem nulla eximiæ Sanctitatis, aut heroicæ humilitatis fama commendavit, semel suscepto Sacerdotio, simplicem Sacerdotem, quamdiu vixit, permansisse, quin Sacris Infulis condecoraretur.

54. Pontificiæ igitur ab impedimento etiam Episcopatus absolutionis argumenta, quæ in Historiis Baronii, & Alexandri desiderabantur, extant apud omnes veteres illos Scriptores sufficientissima, ut quivis prudens, eorum auctoritate suffultus, credere, sibique jure persuadere possit; Ranimirum etiam ab impedimento Episcopatus fuisse Rom. Pont. dispensatione solutum.

55. Suritam ipsum, Ranimiro Concivem, ac Regni Aragonum Historicum rursus, & ultimo loco Nat. Alex. nobis opponit, sic scribens. *Illud tamen omnibus dignum admiratione videri debet, inquit Surita, tam celeri conversione rerum peragi hæc potuisse, ut vix trium annorum spatio decurso, Ramirus & regnum hæreditarium adierit; uxorem duxerit; filiam ex eo matrimonio susceperit; genero nuptui tradiderit; & regni administratione cesserit.* Hæc ex Surita, quibus Alexander addit de penu sua *Verius dicamus, illud esse incredibile, & commento simillimum.*

56. Resp., & præter Suritam Nat. Alexandro do etiam Suritæ Successorem Blancas, qui

qui in Comment. (*a*), ait: *Probe autem Surita noster in suis Indicibus has tantas, & tam subitas nostrarum rerum mutationes admirandas proponit, quandoquidem eas Nostros infra triennium fere molitos cernimus.* Quod igitur Surita *admiratione dignum* dixit, & Blancas *admirandum*, hoc reapse peractum uterque crediderunt, remque totam Blancas in Aragonens. rerum Commentar. sæpe cit. (*b*) hisce fere verbis describit.

57. Ranimirus II. a Rotensi Urbe, in qua Episcopus sedebat, ad Oscam delatus, regale sumpsit Diadema, ætatis suæ annum agens quinquagesimum: statim ac illum Aragonenses Regem renunciaverunt, a Rom. Pont. obtinere curarunt, ut Rex ipse, impedimentis solutus, ad nuptias properaret, & Apost. Sedis gratiâ obtentâ, anno 1135. Uxorem duxit: sub anni, a contracto matrimonio, finem filiam habuit, regnique hæredem, quam Petronillam nominavit: eamque quum vix primum ætatis annum explevisset, regno dotatam Raymundo Berengario Comiti Barcinonensi dedit in uxorem, futuram utique, quum per ætatem liceret.

58. Stipulationem Alphonsus Castellæ Rex operâ Uxoris suæ, quæ Soror erat Raymundi, ratam habuit: atque regni pertæsus Ranimirus, quem regno nec natura, nec voluntas, nec

(*a*) Blancas in Comment. pag. 150.
(*b*) Idem ibi pag. 147. 149. 150.

nec consuetudo assuefecerant, illud Petronillæ detulit filiæ, administrationem Raymundo; & ipse ad Sacrorum religionem rediit, ad finem usque vitæ servandam. Hæc sane omnia intra triennium fuisse peracta, mirabile quidem utrique Historico visum est; incredibile autem, & commento simillimum visum non est nisi Nat. Alex., ejusque pedisequo, quibus, ipsi sibi si constent, et incredibilia erunt Opera Dei, longe mirabiliora quum sint.

59. Istorum autem rigidioris critices eruditorum sententia hac demum ratione luculentissime profligatur. Si Ranimirus, quem ex ejus authentica subscriptione *Rex*, *& Sacerdos* fuisse constat Regem, & Sacerdotem, aut nullam duxisset Uxorem, aut sine Pontificia dispensatione non tam Uxorem, quam concubinam duxisset, nullam profecto legitimam prolem procreasset; si autem illa, quam paulo ante meminimus, Petronilla legitima Ranimiri filia non fuisset, quo pacto ipsam Ranimirus Alphonso Castellæ Regi fœderis obsidem obtulisset? Et quidem obtulit, quamquam, ne re ipsa Castellano Regi traderetur, Aragonenses obstiterint.

60. Qua potestate eamdem postea in futuram uxorem Raymundo Comiti spopondisset? et re vera spopondit. Quo jure ipsam Regno dotasset, Regnique hæredem constituisset consanguineorum derogatione? At dotavit, constituit. Secluso tandem Jure dotali, vel Uxo-

rio,

rio, qua ratione Raymundus Aragonum Regnum injisset, & cum Barcinonensi Comitatu illud copulasset? Et vero utramque ditionem Raymundus in unum Regnum coactam, posteris transmisit, ac firma perstitit a tempore Ranimiri II. usque ad hodiernum diem illa Regni Aragonum, & Cataloniæ Principatus conjunctio.

61. Quum ea igitur omnia veluti indubitata referant Blancas, Surita, aliique plurimi; necessum est, ut Eruditi illi, quos tantopere Gazzaniga commendat, vel eadem illa omnia nihilominus inficientur nimia certe, minimeque ferenda critices severitate; vel plane fateantur, Ranimirum Regem, Monachum, Sacerdotem, Episcopum, legitime, seu debita cum Rom. Pont. dispensatione matrimonium contraxisse.

62. His accedit aliud: Si Ranimirus matrimonium non contraxisset validum, atque legitimum, voti scilicet, & Ordinis impedimentis Pontificia auctoritate sublatis, legitimam, uti dixi, prolem gignere non potuisset, ipsoque tandem decedente sine prole legitima, eadem illa contentio, quæ Ranimirum ipsum è Cœnobio in Aulam, & regnum evocaverat, quasi postliminio reviruisset.

63. Denuo Aragonum Regnum invasissent, ut invaserant, quum Alphonsus objit, & alter Alphonsus Rex Castellæ, nostri Alphonsi Privignus titulo avitæ hæreditatis, cui cedere non

po-

poterat in gravissimum Stirpis suæ detrimentum; & Ordines Militares Sepulchri, Hospitalis, & Templi, illa tempestate opibus, & armis potentissimi, quos Alphonsus Ranimiri Frat., sine prole decedens, Regni hæredes testamento condiderat.

64. Atqui & Rex Castellæ, & Militares Ordines ante Ranimiri mortem ab Regni appetitione prorsus destiterunt; Petronillam, futuram Raymundi Conjugem Aragonum Reginam salutarunt; post mortem Ranimiri nullam adversus Raymundum, & Petronillam super regno contentionem excitaverunt: ergo illam veluti legitimam Ranimiri filiam, & hæredem, ex matrimonio Rom. Pont. auctoritate valido, atque legitimo prognatam, omnes proculdubio agnovere.

65. Quamvis igitur Pontificium diploma, prout quamplurimis aliis contigit, nullibi postea repertum fuerit, extitisse tamen tunc temporis, notumque omnibus, ac perulgatum fuisse, in exploratissimis haberi debet etiam, & vel maxime a severioris critices Eruditis.

Omnia S. R. E. animadversioni subjecta sunto.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google